This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600035105K

DECRETUM
SUÆ REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS
PHILIPPI V.

Super varias delatas, ad Regium ſuum Indiarum Conſilium, adverſus Jeſuitas in Paraquaria accuſationes,

Cum citata in eodem Epiſtola Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Don Fr. Josephi de Peralta, Ordinis S. Dominici Epiſcopi de Buenos Ayres;

Et duobus Epiſtoliis Suæ Majeſtatis Catholicæ ad Patrem Provincialem Soc. JESU in Paraquaria.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

TYRNAVIÆ,
Typis Academicis, Societatis JESU, Anno 1745.

243. e. 32

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra ſcriptus per Provinciam Auſtriæ Societatis JESU Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta ab Admodum R. P. Noſtro FRANCISCO RETZ, Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut Liber defenſionem Miſſionariorum Societatis Noſtræ continens, qui inſcribitur: *Decretum Suæ Regiæ Catholicæ Majeſtatis* PHILIPPI V. *ſuper varias delatas, ad Regium ſuum Indiarum Conſilium, adverſus Jeſuitas in Paraquaria accuſationes, cum citata in eodem Epiſtola Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Don* Fr. JOSEPHI *de Peralta, Ordinis S. Dominici Epiſcopi de Buenos Ayres; & duobus Epiſtoliis Suæ Majeſtatis Catholicæ ad Patrem Provincialem Societatis JESU in Paraquaria*, typis iterum vulgetur. In cujus rei fidem has mea manu ſubſcriptas, & conſueto Officii Sigillo imunitas dedi Græcii 21. Martii 1745.

L.S. MATHIAS POCK.

ADMONITIO

TRANSLATORIS EX HISPANICA IN ITALICAM.

Duarum rerum admonendus eſt Benignus Lector, antequam præſens Regium Decretum oculo percurrat; Alterum quod ad Decreti Subſtantiam; alterum quod ejus ex Hiſpanica traductionem ſpectat. Præfandum itaque eſt, Societatem JESU in Paraquarienſibus ſuis Miſſionariis, multis ab annis ab æmulis graviſſimè exagitatam; horúmque inſectationibus famam bonúmque nomen Evangelicis operariis, ad ritè fungendum ſuis officiis adeò neceſſarium magnoperè imminutum, divino ſervitio & ſanctæ Fidei amplificationi, majori, quàm credi poſſit, impedimento fuiſſe. Quare tentatis incaſſum remediis aliis, viſa eſt imploranda clementia Catholici Regis, harum Provincia-

rum Domini, atque in vaſtis ſuis ditionibus divinæ gloriæ Protectoris longè ſtudioſiſſimi: Dignaretur per ſuos miniſtros curatiſſimè perquiri ac examinari curare incuſationes, Patribúsque impoſitas calumnias; ac pro Regio ſuo animo utì omnibus, ita ſingulis, pro merito juſtitiam adminiſtrare; atque opportuna, quæ in futurum accommodata viderentur, ac ſtabilia decreta edere.

Placuit Regi, ad ſe recurſum eſſe, juſtáque visâ ejusmodi petitione, juſſit in Regali Indiarum Conſilio, poſt collectas pluribus annis notitias, Actáque omnia, diligenter diſcuti controverſa capita; queis viſis, præſens Decretum die 28. Decembris Anno 1743. pervulgavit. Subjungitur Decreto Epiſtola Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Don Fr. Joſephi Peraltæ ex Ordine Prædicatorum Epiſcopi urbis Boni aëris, partim quod in ipſo Suæ Majeſtatis Decreto citetur, partim quod varia ad idem Decretum illuſtrandum, & meliore in lumine collocandum idonea contineat.

Quod ad traductionem attinet, quemadmodum religiosè & fideliter Hiſpanico ſe contextui adſtringere propoſitum fuit; ita nihil offensâ veritate, anxiè nimis literali verſioni inhærendum viſum non eſt, idque ordinis & perſpicacitatis causâ; quod nemo non advertet, qui Italicum cum Hiſpanico textu conferre voluerit, quod ipſis Hiſpanis teſtantibus ſaltem ad guſtum Italicum diſtenſus non videatur. Vale.

REX.

REX.

Literis Gubernatoris Paraquariæ Don Bartholomæi de Aldunate Anno 1726. edoctus ſum, convenire, ut in Populationibus (Coloniis) curæ Patrum Societatis traditis, ſeu in jurisdictione dictæ Provinciæ Paraquariæ, ſeu alibi in Provincia Boni aëris ſitis tres Gubernatores conſtituantur, qui ab Indis tributa, ùt in aliis Peruviæ partibus, exigant; cùm dicti Indi numerum centum quinquaginta millium excedant, nec coronæ noſtræ quidquam pendant. Intellexi item inſignem utilitatem, quæ in ipſos Indos indultô publicô commerciô redundaret; quo adjuti, ſeu è terræ fructibus, ſeu propriâ induſtriâ, tributa facilè perſolverent; è quo cenſu & exercitus Chilenſis & præſidium Boni aëris commodè alerentur; quæ ſupereſſet, nec levis ſumma, Regio noſtro ærario accederet. Rem ita conſtituendam, ut hi Gubernatores, quoties res poſtularet, præſidio Boni aëris, ſuppetias ferant; Gubernator verò Paraquariæ, velut in appellationis foro, ſententias, cauſásque

ſub-

ſubjectorum Gubernatorum cognoſcat; quorum eſſet Indorum, qui hactenus tributa, ùt in aliis Provinciis, non equidem in moneta, ſed terræ ſuæ fructibus & propriâ induſtriâ nunquam perſolverant, exigere. Hæc tributa omnia in urbem Aſſumptionis Paraquariæ transportarentur, ubi Quæſtor unus reſideret, qui cum ſcriba exactas rationes iniret, & cum Gubernatoribus per literas communicaret; ut inde ad S. Fidei, & Veram crucem trajectæ merces, in exitu monetâ permutarentur, & in ærarium Boni aëris ad alendum hujus præſidium & Chilenſem exercitum perferrentur.

Expensô hoc typô, aliísque per Regale meum Indiarum Conſilium hac ſuper materia mihi propoſitis, poſt Giuntam (Conſilium) 21. Maji ejusdem Anni habitum per Decretum 8. Julii ſequentis 1727. Anni mandavi Gubernatori Boni aëris & Paraquariæ, ut legibus mearum in India ditionum ſe conformantes, à prædictis Indis præſcripta, cujuscunque ſortis forent, tributa ſeu taxas (æſtimationem) exigant; ni faxint, cauſas omiſſæ exactionis afferant; eodem verò tempore Peruviæ Proregem edocerent, qui rem accuratè cognoſceret, duobus Gubernatoribus diligenter invigilaret, &, ſi quâ parte officio deeſſent, ad promptam meorum mandatorum executionem, remedium adhiberet.

Hoc fine Don Martinus de Barva Gubernator Paraquariæ *pro interim* literis 25. Septembr. Anno 1730. mihi ſignificavit, quantum ſuæ jam quinquennio gubernatæ Paraquariæ Provinciæ ſtatum perſpicere potuerit, compertum ſibi, Informationem de 150. millibus Indorum in populationibus duarum Provinciarum Paraquariæ & Boni aëris com-

moran-

morantium ac tributis è lege obnoxiorum Indorum, ſinè ulla cauſæ cognitione aliàs transmiſſam fuiſſe. Cùm à ſemet inſpectis tredecim ſuæ jurisdictionis Populationum juridicis catalogis, animadverterit, in ambabus Paraquariæ, & Boni aëris Provinciis, vix quadraginta millia Indorum taxæ ſubjectorum reperiri: imò in tredecim ſuæ jurisdictionis Populationibus taxæ, ſecundùm juridicos catalogos, ſubjectos ne undecim quidem millia conficere; unde arguere ſit, ſi ad has tredecim, Populationes 19. vel 20. in ditione Boni aëris ſitæ adjiciantur, ambarum ſimul utriusque Provinciæ Populationum Indos taxæ ſubjectos, quadraginta millium numerum haud excedere.

Expoſuit mihi idem Don Martinus de Barva, quantæ turbæ ab Hiſpanis duarum Provinciarum Gubernatoribus, ex hâc novitate timendæ ſint, expensa volubili Indorum indole, qui ſemper à Patribus Societatis gubernati, à nemine dependere ſoliti ſint, ac à Provincialibus ejusdem & Miſſionariis, qui reapſe eorum Parochi ſunt; unde futurum ſit, ut mutatâ gubernandi formâ, vel ipſi Indi quaquà versùs diffugiant, aut per coryphæos ad fugam concitentur. Quod eò formidandum magìs, quò ad hoc fugæ conſilium locorum ſitus eſt opportunior; & harum Populationum tanta ſit ab Hiſpanis diſtantia, ut nullo pacto ſubjugari poſſent. Quandoquidem urbi Boni aëris viciniſſimæ non minùs 150. leucis, aliæ trecentis diſtent. E Paraquariæ Populationibus quatuor, quinquagenis; tres, propè ſeptuagenis; aliæ trans flumen Paranam, 7. vel 8. leucis inter ſe diſtant.

Expoſuit item, ſi expedire judicatum fuerit, normam capi poſſe è Populationibus, illi urbi propioribus S. Ignatii Guaſo, Noſtræ Dominæ de Fide, S. Roſæ, S. Jacobi, Tapua, Jesu, S. Trinitatis: Gubernatori, ſi in neceſſitate adeò remota auxilia petenda forent, rem ægrè ſucceſſuram, &, ùt addit Don Martinus de Barva; hoc caſu ægrè quemquam fore hujus gubernii candidatum, quod ab Jeſuitarum Miſſionariorum conſilio timendum eſſet maximè, qui in harum Populationum prima fundatione id ſpectârunt præprimis, ut ab Hiſpanorum commercio & conſortio quàm longiſſimè Indos abjungerent. Id ut obtinerent, ſeveris eos præceptis conſtrinxiſſe; ùt in Populatione S. Ignatii Guaſo, pone viam ſita, apparet, denſis ſepibus cum ſua porta, & unico aditu incinctâ. Hàc, ſi tranſeundum eſſet Hiſpanis, nemini, cui à Miſſionario facultas impertita non eſſet, intra Populationem, pedem inferre licere.

Quod ad taxam ac tributi modum attinet (idem mihi ſignificavit) in ſingula capita conſtituta squatuor *Cannas* telæ, mercedem ſcilicet bimeſtris operæ ac laboris. Nec his Indis eadem eſt, quæ cæteris Peruvianis, libertas; omníſque eorum labor unicè ab arbitrio Miſſionariorum, ſuorúmque adminiſtrorum pendet; & quidquid inde colligitur, in communitatis uſum ſeponitur, quin ullus inde quidquam ſibi utilitatis capiat præter ſimplicem, qua conveſtiantur telam, omniaque à Miſſionariis adminiſtrantur, per quos de ſingulorum neceſſitatibus proſpiciendum eſt. Hac cauſâ, & ob inſignem operam, Regiæ meæ coronæ, præſertim in Provincia Boni aëris, ad tuendum eum portum per

Indos

Indos variis occaſionibus præſtitam, viſum eſt à ſingulis capitibus duas duntaxat telæ *Cannas* vel duas *Pezzas* argenti exigendas; ea tamen conditione, ut quavis occaſione Regiis meis obſequiis præſtò ſint, agnoſcántque, quâ lenitate à me tractentur. Et quia lapſis annis, Indi iidem Provinciæ Paraquariæ in tuendis coronæ ditionibus haud minùs fidelem operam præſtitêre, etſi à multis annis nihil exactum ſit, viſum eſt etiam erga hos, conditionibus iisdem & eâdem æquitate utendum.

Cur autem Indis immunitas à tributis indulgenda viſa fuerit, non alia ratio affertur, ac quæ documento, unà cum Informatione ad me miſſo continetur. Equidem Limæ à meo Prorege, Salvæ Terræ Comite, aliísque ærarii mei miniſtris conventio facta eſt, per quam à ſingulis harum Populationum Indis una argenti *Pezza* exigenda ſtatuebatur, quod tributum inde in Regium Boni aëris theſaurum inferretur. Prædictus meus Prorex hanc conventionem fixit, variis, ùt tum tempora erant, rationibus permotus. Ex hac impoſita, & ab Anno 1681. quo ſtatuta fuit, ad hunc Annum 1730. nunquam perſoluta taxa (ſi omnium dictarum Miſſionum Indi quadraginta circiter millia cenſeantur) Regiis meis Boni aëris reditibus ſumma trium millionum & ducentorum millium *Pezzarum* ſubtraheretur; quin tributi hujus exactionem unquam urſiſſent Regii mei Quæſtores, tacitâ nimirùm conſpiratione dictis Patribus colludentes, quorum in tribunali noſtri Proregis, magna tum fuit efficacia.

His de rebus, aliísque à Regio meo Indiarum Conſilio ritè edoctus, conſideratô negotii momentô, 27. Octobris

Anni 1732. decrevi, ut Don Joanni Vaſquez de Aguero tum ad iter in Boni aëris accincto in commiſſis darentur variæ ab eodem Conſilio mihi propoſitæ Informationes; ſimul eidem miniſtro neceſſariæ Inſtructiones darentur, ſecundùm quas cum Superioribus Societatis JESU in Paraquaria de modo tributa imponendi & exigendi inter ſe conferrent; mandavi inſuper, ut ab eodem Conſilio quispiam deſignetur, qui in Hiſpania cum Procuratoribus, aliisque Societatis eò deſtinatis Religioſis de eodem negotio conſultaret, ut, quod poſt tantam diligentiam communiter videretur, de opportuno remedio provideam.

Exequendi hujus mandati causâ variæ Inſtructiones confectæ ſunt, è quibus dictus Don Joannes Vaſquez de Aguero præſcriptas Informationes caperet, quibus confectis Regium noſtrum Conſilium de propoſitis punctis edoceret. Quod idem Conſilium, vi mei in eadem Giunta Decreti conſtitui, ut perceptis hiſce Informationibus, aliisque, quæ jam ad manum ſunt, notitiis, Don Emmanuel Carvajal, ejusdem Conſilii pro nova Hiſpania Fiſcalis, & Don Michaël de Villanova meus ad res Peruanas Secretarius cum P. Procuratore Generali, Gaſpare Rodero conferrent, atque de ſingulis memoratis punctis ſententiam ſuam dicto Conſilio exhiberent. Itaque cùm funditus edoceri cuperem de negotio, quo tanto ſtrepitu, opinionum varietate tanta, tot ſcriptitationibus partim contra Societatem ab anonymis, partim per ipſos Patres ad ſui defenſionem, & impactarum calumniarum confutationem editis, agitatum eſt hactenus, ut neceſſariò ad deciſionem veniendum eſſet, per quam publicè

blicè conſtaret, vel intolerandam calumniam imponi Patribus, unâ veritatis luce diſſipandam; vel injuſtâ tolerantiâ magnum noſtro ærario detrimentum inferri, non ſinè læſione noſtri Juris-Patronatûs, nec ſinè Regiæ authoritatis neglectu, ac meorum mandatorum contemptu. Ut huic juſto meo deſiderio obſequerer, juſſi per viam ſecretam eidem Don Joanni Vaſquez de Aguero ſecretam alteram Inſtructionem dari, quâ puncta omnia huc facientia comprehenderentur.

Munitus hàc Inſtructione Aguero, abiit ad mandata ſua exequenda: in Boni aëris ad normam ſuarum Inſtructionum judiciariam cauſam inſtituit: ejus documenta in Februario Anni 1736. mihi & Conſilio rransmiſit; quibus de propoſitis punctis eum in modum ſatisfecit, ut partim ex iteratis cum memorato Don Martino de Barva congreſſibus, partim è juridicis catalogis, aliísque à ſe inſpectis ſcriptis, partim ex Informationibus hujus & Paraquaricæ Dicœceſis Epiſcoporum, partim decem Eccleſiaſticorum, & Sæcularium, in his Populationibus meliùs verſatorum, teſtimoniis, in cognitionem venerit, in triginta Societatis Miſſionibus minimùm triginta millia Indorum tributis obnoxiorum cenſeri.

Addit idem Aguero: in Regiis ejus Provinciæ ſcripturis nullam ſe notam ſeu catalogum reperiſſe, niſi quem de Barva Anno 1715. de 14. Populationibus conſignavit; è quo conſtet, tum nonniſi octo millia, octingentos, quinquaginta, Indorum tributo obnoxiorum, cenſa fuiſſe. Lectum item à ſe tranſumptum (exemplum) ejus, quod An. 1677.

Don Didacus Ibannez de Faria Regiæ meæ Goathemalenſis Audientiæ Fiſcalis de viginti duabus, quæ tum erant, Populationibus conſcripſerat, non item elucidârit, à quo tempore novæ acceſſiones cœperint. Subinde An. 1718. quo D. Fr. Faxardo Epiſcopus omnes eas Populationes obivit, ad triginta millia ſexcentæ quatuor familiæ cenſæ fuêre; ipſe verò confirmationis Sacramentum ſeptuaginta tribus millibus, ſexcentis, ſeptem & quinquaginta contulit. Ex alio ſcripto, per Religioſos Epiſcopo Paraquarienſi A. 1733. exhibito apparet, in dictis Populationibus viginti ſeptem millia, octingentas ſexaginta quinque familias fuiſſe. E catalogo à P. Miſſionum Procuratore exhibito, & enumeratione An. 1734. conſtat, familias cenſeri quatuor & viginti millia, ducentas ſeptemdecim. Denique P. Jacobus Aquilar, harum Provinciarum Provincialis, in congreſſu ſecum habito, certiorem eum fecit, Reductiones vel Populationes eſſe triginta; Indorum tributa pendere valentium, viginti millia; id quod jurata fide Miſſionariorum, quibus, de ſui teſtimonii fide à Provinciali interrogatis, videantur eſſe novemdecim tributa pendere valentium millia.

Retulit idem Miniſter Aguero in ſua Informatione: harum Miſſionum Populationes eſſe perantiquas: Siquidem, quantùm è Proceſſibus coram Don Balthaſare Garzia Ros, tum Paraquariæ Gubernatore, inſtitutis (an harum Miſſionum Populationes, penſione *herbæ* taxandæ ſint) conſtat; in dicta Paraquariæ & fluminis de la Plata regione inde ab Anno 1631. à PP. Societatis fundatas viginti plures Reductiones, cum decenti Eccleſia ſingulas; Indos verò incolas

ſupra

ſupra ſeptuaginta millia. Retulit item, è Regiis meis ſæpiùs inſtauratis mandatis, omnes; qui decimum octavum annum nondum complêſſent, vel quinquageſimum prope attingerent; Caciquos omnes (Præfectos) cum ſuis primogenitis; aliósque in quavis Populatione duodenos, Eccleſiæ ſervitio deſtinatos, à tributo immunes haberi juſſos. Patrem Gaſparem Roderum in ſuo ſcripto typis edito tradidiſſe, in triginta his Populationibus cenſeri centum quinquaginta millia animarum, ac pro argumento citare catalogos à Gubernatore Boni aëris confectos; in quibus tamen ejus nihil extet, nec recentiores ſuppetere. Nihilominus etſi mandaverim Decreto 24. Auguſti Anno 1718. edito, ut Populationum numerus & terræ redituum ineatur, è quarum decimis Ordinarius ſuſtentaretur; Caciqui verò tributa Regio meo ærario inferrent; neglectum eſt Regium hoc mandatum, quod Gubernator obtenſis aliis occupationibus ſubdelegato Don Balthaſari Garziæ Ros, Regio Tenenti, negotium commiſerit; cui tamen ab ipſo ſuſceptæ Commiſſioni, Procurator Miſſionum illius Collegii eâ ſe causâ oppoſuerit, quod Regalibus literis Indi è juridico, tributum ſolventium catalogo eximantur, niſi per Gubernatorem quempiam aut Miniſtrum idcirco nominatim delectum inſinuetur. Et poſtquam ad exhibendas patentes eas literas ultrò petenti terminus fixus fuit, res in eodem ſtatu ad An. 1720. hæſit, quin negotium denuo reſumeretur.

Quod ad tributum ab Indis prrſolutum attinet, refert Aguerus; quot annis unam argenti *Pezzam* (Nobis, Imperialem vel 2. florenos) depenſam, nec conſtare, quando capi-

capitatio hæc cœperit: E decem millibus, quadringentis, quadraginta (quam ſummam citatus D. Didaci Ibannez catalogus conſignat;) ſi detrahatur, pro numero Populationum duarum & viginti, Miſſionariorum congrua ſuſtentatio, remanſiſſe ſexcentas tres & quinquaginta *Pezzas* cum 7. (Nobis quinariis vel quartâ parte floreni) Realibus, quas annis ſingulis perſolverint, & per manus Procuratorum Miſſionum Regio ærario intulerint.

Indicat in ſua Informatione idem Miniſter: ſe poſt complures deſuper habitas conſultationes certum eſſe juſſum, ſolutionem pro numero Indorum nondum integrè repræſentatam, quòd capitatim non conſtet, quot Indi fuerint, & hoc in negotio citatus catalogus Anni 1677. pro norma habitus fuerit; Quâ causâ etiam octo congruas Miſſionariorum ſuſtentationes, quæ viginti duabus prioribus acceſsêre, jam à multis annis adnotatas non fuiſſe. Id certum eſſe, poſt omnem diligentiam ad exequendum An. 1718. Regium mandatum adhibitam, nondum tributo obnoxios, præcisè ac ſingillatim adnotatos, ídque Gubernatorum incuriâ & negligentiâ unicè. Et quamvis inde ærarium Regium liquidò defraudaretur; poſſibile non fuit, ut illati damni ſumma computaretur, quod de primo initio hujus normæ non conſtaret.

Quod ad taxam, contributionis nomine ab Indis pendendam ſpectat, ex omnibus huic Miniſtro præbitis notitiis comperit: in ſingulos Indos ſingulas *Pezzas* argenti, Regio noſtro ærario dependi, nempe dimidium tributi, quod alii ejusdem Provinciæ perſolvunt; ídque ob egregiam omni-

mnibus in occaſionibus, belli præſertim tempore, Regiæ meæ coronæ ad nutum Gubernatoris præſtitam operam, (quemadmodum dum hæc perſcriberet Aguerus, ipſe coràm tria Indorum millia Regio ſervitio authorata teſtatur) dum alii fabricis, aliísque particularibus laboribus occupantur, atque ad idem deinceps præſtandum obligantur. Hoc intuitu plus ac duas *Pezzas* pendere non poſſe videbantur Indi, nec majoribus, ac tulerant hactenus, laboribus onerandi, quod eorum operâ omnis generis fructus uberiùs proveniant. Hoc ſuper argumento contuli (ſubjungit Miniſter) cum P. Provinciali earum Miſſionum. Patres de memorata taxæ æſtimatione parùm conveniebant, ac perſuadere volebant, Indos ſeu privatim, ſeu in communi, extremè pauperes; quantumvis ille judicaret, proventus *Herbæ*, *Telæ*, & *Tabaci* quotannis centum *Pezzarum* millia facilè æquare. Poſitâ hâc Provincialis ipſius confeſſione, debitóque, quo ſe ipſe onerabat, (cùm in aliorum documentorum defectu è ſuis ſcripturis ac rationibus ampliùs onerari nequeant) Capitale ſufficiens erat ad ſolvendas duas tributi *Pezzas;* cùm hæc ſolutio ſexaginta annua millia non excedat. Quare, perſoluto licèt tali tributo, reſidua pecunia excedebat neceſſarios ſumptus in templorum ornamenta, Indos armis inſtruendos, comparanda pro opificiorum varietate diverſa inſtrumenta, ac ferramenta varia, ſupplendum defectum ceræ & vini ad ſacrificium & officium divinum, ad quos ſuſtinendos ægrè totum illud ſufficit, quod in aliquibus Populationibus colligitur.

Quod ad fructus in his Populationibus, Indorum labore & induſtriâ provenientes attinet, declarat Aguerus: è diverſis informationibus percepiſſe ſe, aliorum judicio quot annis *Herbæ Camini* dictæ per duas Procuratorias Boni aëris & S. Fidei evehi ſedecim, ad octodecim mille Arrobarum (Arroba Hiſpanicæ menſuræ genus, viginti quinque, ſedecim unciarum libris reſpondet) juxta alios verò duodecim aut quatuordecim, juxta alios decem aut duodecim millibus non amplius colligi. Pretium dictæ *Herbæ*, ab aliquot annis ad ſex *Pezzas* pro Arroba crevit, aliàs trium *Pezzarum* eſt. De altera *Herba*, quam *Palo* vocant, & in quatuor Paraquariæ vicinioribus Populationibus provenit, variant informationes. Quidam viginti quinque, aut ſex millia Arrobarum, alii multo minus, alii nihil omnino colligi ajunt. Ordinarium hujus *Herbæ* pretium ſunt quatuor *Pezzæ*, etſi multis occaſionibus Arroba non niſi duabus conſtat. Idem eſt de tela Goſſypina. Illi, qui largiùs æſtimant, ad duodecim millia *Cannarum*, alii minore longè numero confici tradunt. Ordinarium pretium ſunt quatuor, aut pro telæ varietate ſex Reales.

De aliis fructibus Indorum labore collectis, ùt Sacchari, Tabaci, Ellychniorum Goſsypinorum pro candelis ſevaceis, memorat idem Aguerus, variare informationes. Ex iis, quæ Quæſtor S. Fidei, & PP. Procuratores Miſſionum teſtantur, manifeſtum fieri, ab Anno 1729. ad 1733. in Provincia Paraquariæ & Boni aëris non niſi ſex millia, ſexcentos, nonaginta ſeptem ſaccos *Herbæ* (ſeptem vel octo Arrobarum capaces;) majores verò Sacchari panes ducen-

centos, nonaginta quinque, duarum & mediæ Arrobarum pondere elaboratos fuiſſe.

Eâdem informatione indicat Aguerus: Indos omnium teſtimonio doctrinâ Chriſtianâ præclarè inſtitutos; PP. Miſſionarios omnem vitiorum occaſionem ſedulò præcludere; eáque propter variis exercitationibus, ſexui cuivis & ætati convenientibus, occupare, variásque artes & opificia docuiſſe. Addit, omnes has Populationes à Paraquariæ jurisdictione exemptas, nominatim tredecim; alias per Regium Decretum independentes, jam uni Boni aëris Gubernio ſubjacere, ùt ex omnibus informationibus conſtat.

Exponit idem, exhibita ſibi triginta jurata teſtimonia hactenus dictorum, cum indice Indorum tributum ſolventium; unáque informationem decem Miſſionariorum, mandato ſui Provincialis juridicè coram Patre Antonio de Villa Garcia, Notario Apoſtolico uniformiter teſtantium: tributum, à quo tempore impoſitum fuit, ritè perſolutum. Quod ab Indis omninò præſtari non potuiſſet, ob nativam eorum deſidiam, ſi ſolo terræ ſuæ fructuum proventu ſolvendum fuiſſet; nec œconomia & ſolicitudo Miſſionariorum adjumento fuiſſet, ac terræ ſuæ tum ſingulares tum communes fructus vendendi, ac mercandi induſtriam acuiſſet. Præterea adſtrictos illos, quoties imperaretur, ſeu in Paraquariæ, ſeu Boni aëris Provincia, ſe Regio meo ſervitio, ídque ſinè ſtipendio ſiſtere. Quibus aliísque de cauſis & expensâ horum hominum nativâ inconſtantiâ communiter exiſtimant Patres: ſi paulò gravius tributum imponeretur, vel ſe ipſis dilapſuras Populationes, vel ad ſeditionem conci-

tatas, eorum, quibus hactenus parent, jugum excuſſûras.

Poſtremò inſinuat idem Aguerus: ſæpiùs & de ſcripto inſtitiſſe Patres Societatis, ut quispiam ad has Populationes inviſendas mitteretur, ac, ſi quid in informationibus ambiguum ineſſet, coràm inſpiceret; quandoquidem excepto Paraquariæ Epiſcopo, qui ad unam omnes obierat, vix quisquam omnes viderit; nec deſint malè affecti, & adverſarii Societatis; Indi verò in ſuis teſtimoniis non tam de viſu, quàm parùm fidis aliorum narrationibus teſtentur. Utì rumores, qui priùs ſpargebantur, multùm jam diſſident ab iis, quæ nunc ſpectantur; nempe poſtquam per peſtilentiam, rerum omnium caritatem, præcipuè obortum bellum, & continuas Paraquariæ turbas in extremam miſeriam redactæ ſunt hæ Populationes. Quia verò eò ſe coràm conferre, & periculoſa, & inutilis foret opera, judiciariis tabulis inſeruit documenta ſupra citata, ut ad meam notitiam pervenirent omnia. Et quia è documentis authenticis per Patres exhibitis (de quorum fide dubitandi, vel fraudem aliquam ſuſpicandi non erat ratio) tam de proventu fructuum, quàm numero Indorum liquidò conſtabat, ab itinere tam longo, tótque inter infideles periculis expoſito idem Miniſter abſtinuit.

Itaque perlatâ ad Regium meum Indiarum Conſilium Agueri informatione volui, ut duo ſupra nominati Miniſtri Don Emmanuel Martinez Carvajal, & Don Michaël de Villanova negotium cum P. Gaſpare Rodero Procuratore Generali de exequendâ determinatione Giuntæ 27. Octobr. Anno

Anno 1732. conferant. Hoc facto ad idem Conſilium, quæ compererant, retulêre. Ex omnibus porrò antiquioribus ac recentioribus à P. Rodero Giuntæ exhibitis informationibus & documentis aliis fiebat manifeſtum, cenſum ſeu enumerationem triginta Paraquariæ, & Boni aëris Populationum nunquam iisdem formalitatibus, ùt in aliis Indiarum Populationibus, ritè fuiſſe confectum, ob varia, quæ ſucceſſivè ſe obtulêre, inconvenientia. Accedit, quod è tot inter ſe diſcrepantibus informationibus Indorum numerus adeò variet, ut (de numero centum quinquaginta millium tributum ſolvere valentium, annotato à Don Bartholomæo de Aldunate Anno 1726. deſcenſum fuerit ad numerum novemdecim millium, centum, ſedecim; ſecundùm juratam annotationem Patrum Miſſionariorum in Boni aëris, Don Joanni Vaſquez de Aguero exhibitam) è tot teſtimoniis vix duo inter ſe conſonent: è omnes non è propria notitia, ſed alienorum auditu, & meris conjecturis teſtentur.

Conventum eſt denuo cum eodem P. Procuratore Generali, actúmque de difficultatibus ab eo contra executionem meorum Decretorum allatis, alibi tamen à mearum ditionum Vaſallis, in uſum deductis. Id his etiam locis futurum fuiſſe dicebant, ſi Societas, quod ſuarum partium fuiſſet, Indos meorum Mandatorum obſervationi aſſuefeciſſet. Ad quam objectionem reſpondit Ille: Societatem ad dictam enumerationem ineundam, & præciſam annotationem ſemper, ut primùm requireretur, fore paratiſſimam; quod nuper clarè oſtendit, cùm Don Joanni Vaſquez de Aguero (ùt ſupra memoratum) juratas ſuas informationes Miſſio-

narii triginta fideliter exhibuêre, inſuper juridicè inſiſtendo, ut idem de Aguero obeundo has Populationes veritatem coràm indagaret; ad id iter Miſſionum Superiores, ſemet comites, & omnia neceſſaria offerebant. Et parata eſt Religio, quoties Gubernatoribus, ad ineundum verum Indorum numerum, quempiam eò mittere viſum fuerit, ei unum, vel plures Religioſos adjungere, ſumptúsque itineris omnes tolerare; ídque eò duntaxat, ut ſiniſtram de ſe famam, ab æmulis ſtudiosè pervulgatam tandem diſſipent, nec falsò arguantur, quaſi ipſorum culpâ ignoretur Indorum verus numerus, ipſorúmque impulſu ac inſtigatione tot difficultates præciſum numerum cognoſcendi objiciantur. Quod ſi fieri minus commodum videretur, poſſe PP. Miſſionarios formali præcepto obedientiæ adſtringi, ut quotannis tempore & loco deſignando juratas ſuas huc pertinentes informationes tradant. Secundùm quas tributum quotannis Regio meo Boni aëris ærario pro numero Indorum perſolvatur, juxta taxam inde ab An. 1649. à Comite de Salva Terra meo Pro-Rege ſtatutam.

Memorati duo Miniſtri expoſuêre Conſilio, inſpectas à ſe omnes ad hoc negotium pertinentes ſcripturas, è quibus conſtat, Annis 1649, & 1661. in ſingulos Indos Miſſionum Paraquariæ tributum ſolventes, impoſitam taxam unius annuæ *Pezzæ;* quamvis, ab eo tempore longè aliter tractati fuerint ac alii: intuitu expertæ fidelitatis & multorum pro Noſtra corona meritorum. Item pro Regula tum novem millia *Pezzarum* fuiſſe fixa, quæ ùt ſumma integra tributi ab Indis pendendi (etſi nondum ſatis elucidata) Regio

Boni

Boni aëris ærario perſoluta fuerint. De qua ſumma Regii mei Quæſtores ſolvebant congruas ſuſtentationes viginti duas, totidem Miſſionariorum, reſpondentium numero viginti duarum Populationum, tum enim plures non erant. Quare P. Procuratori demonſtrârunt, quâm juſtè potuerim decernere, ut Indi aliquanto plus, quàm taxatam *Pezzam* pendant; fructuum ſcilicet, quos è terra, & lucri, quod ex opificiis colligunt, nomine; ídque tantò juſtius, quod in omnibus Americæ ditionibus à ſingulis, quaternæ, aut quinæ *Pezzæ* tributi exigantur. Et quamvis præſtita à Paraquariis coronæ ſervitia diſtinctionem aliquam à cæteris mereantur, hanc tamen unius *Pezzæ* nimiam videri, præſertim cùm ab Anno 1649. nunquam novem *Pezzarum* millibus ampliùs perſolverint, quæ ſumma nulli ex variantibus Indorum numeris ſupramemoratis reſpondeat.

Ad hæc ut ſatisfaceret P. Procurator Generalis, ſuæ Religionis nomine, prolixam ac bene contextam relationem exhibuit continuorum ſervitiorum, ab harum Miſſionum Indis ab ſui origine coronæ meæ præſtitorum: hanc videlicet unicam militiam fuiſſe, quâ tot ſeu barbarorum, ditioni meæ non ſubjectorum, ſeu exterarum coloniarum invaſiones toties depulſæ fuerint: ſtare ſemper in caſtra promptos, quotiescunque, quoquo numero, evocârit Gubernator, ídque ſinè ſtipendio, impedimentis, armis, ſupellectile bellicâ, ſuo proprio impendio procuratis; ſæpiùs accidiſſe, ut ſubinde ſex, aliàs octo millibus diu in campo verſandum eſſet; ut adeò ſubductis rationibus unius ac dimidii realis, qui ſingulis Indis belli tempore è Regio ærario præbetur, ſumma

ma haud levis exiſteret; hæc ſervitia eos & præſtitiſſe, & Regiæ meæ coronæ præſtituros porrô. Ut è documentis authenticis in Boni aëris Don Joanni Vaſquez de Aguero exhibitis, quorum exempla à P. Rodero memoratæ Giuntæ præſentata fuêre, patet; quibus prætendebat idem, harum Miſſionum Indos non modò à cæteris Americanis diſtinguendos, verùm, ab omni tributo, immunitate donandos videri; cui ſuo aſſerto ut pondus adderet, citavit Regium de 12. Octobr. Anni 1716. Decretum Don Bruno Mauritio de Zavala transmiſſum, & ad tympanorum ſonitum à Gubernatore in omnibus Populationibus pervulgatum: huic ſiquid contrarium præſcriberetur, & Indos graviter commotum iri, atque multa inde incommoda metuenda.

Eodem in congreſſu dicti Miniſtri agitatam à ſe dixêre incuſationem aliam: quòd Indi non doceantur linguam Hiſpanicam, & ab omni communicatione cum Hiſpanis prohibeantur; rem ſtabilitis meis per omnem Indiarum ditionem legibus pugnantem; quod idem ſit, ac commercium cum Hiſpanis intercludere; & prohibere, nè mutuâ inter ſe conſuetudine animis unquàm conjungantur; ac ſemper à communi harum ditionum Gubernio ſeparati teneantur. Huic objectioni reſpondit Religio; veriſſimum eſſe, vagos Hiſpanos ab harum Populationum ingreſſu arceri, quia poſt experientias complures velut manibus contigerint, unâ hâc cautione ab incontinentia, furtis, cædibus, idololatria abſtineri Indos poſſe. Si quandoque perrupiſſet Hiſpanorum quispiam, continuò ad eorum conjuges rapiendas ſe convertiſſe. Cæterùm, quod ſimpliciter omni cum Hiſpanis conſuetudine inter-

terdicti ſint, factis ipſis refelli; permultos namque Indorum, multis ſæpe menſibus bello diſtineri, vel munimentorum fabricis, vel aliis operis, per Gubernatores Paraquariæ, ac Boni aëris injunctis, occupari; ut adeò, extra domos ipſorum, frequens admodum ſit cum Hiſpanis communicatio. Et quia non ſemper iidem ad opus faciendum adhibentur, ſed per vices mutantur, hinc reipſa Indi omnes ad hæc opera habiles liberè agunt cum Hiſpanis, quin contra præceptum Miſſionariorum, tuendæ eorum innocentiæ unicè intentorum, agant.

Propoſuêre ad extremum iidem Miniſtri, multis à ſe de articulo illo actum: ut capitalia omnia, fructus, aliáque Indorum propria in commune conferantur; at ſimul edoctos ſe, quâ parſimonia, & œconomica partitione ſingulis quæ ad victum, veſtitum, reliquámque ſuſtentationem neceſſaria, dividantur; partem applicari divino cultui ac altarium Miniſtris; partem tributis perſolvendis, aliísque oneribus in coronæ ſervitium tolerandis- E diſpoſitionibus his omnibus ſingularem œconomiam elucere, ad continendas in Chriſtianæ vitæ officio has Populationes omnino neceſſariam: numerum Indorum præter propter centum duodecim, aut centum viginti millium animarum cenſeri, utriusque ætatis & ſexûs, myſteriis Sanctæ Catholicæ fidei ſolidè inſtructos, ac divinorum præceptorum, præ omnibus Americæ populis obſervantiores; verùm nativa indole deſides, hebetésque, & de craſtino providere omnino incurios. Hæc omnia è documentis authenticis, à Don Joanne Vaſquez de Aguero Commiſſionis Judice transmiſſis, liquere.

Adjunxêre memorati Miniſtri: in congreſſu cum P. Procuratore Generali habito, obſervatum ſibi, inter documenta ab eodem Patre exhibita, & Agueri informationes magnam eſſe, & per omnia Societati ſaventem conſenſionem; atque harum Miſſionum Indos, ùt hujus Provinciæ antemurale, magis proficuam meæ coronæ, præ quavis alia, operam præſtare. Quod Regiam meam benignitatem permovit, ut id ipſum palàm facerem in Inſtructione Gubernatori Boni aëris, Don Bruno Mauritio de Zavala, datâ An. 1716. occaſione ceſſionis Coloniæ Sacramenti, fines harum Miſſionum contingentis, Luſitaniæ Regi factæ per articulum VI. Pacis Ultrajectenſis. Denique objectionibus omnibus factis & mihi ſcripto traditis P. Provincialis Paraquariæ in memoriali ſubſcripto & præſentato plenè ſatisfecit.

Apparebat denique totum hujus negotii momentum, & ſummam eò reduci, ut expenderetur periculum, ne, ſi quæ novatio, licèt legibus conformis & alibi uſitata, hìc locorum induceretur, innumeræ animæ DEO, & Regiæ meæ coronæ totidem Vaſalli ſubtraherentur; per quos copiis noſtris, alioqui hìc locorum alendis, parcitur; & Paraquariæ ac Boni aëris præſidia â tot annis in hanc diem inexpugnabiliter defenduntur. Enumerationem Indorum faciendam eſſe methodo, quam Societas facilem proponebat. Si taxa unius *Pezzæ* in ſingulos tributo obnoxios, ingruente fors periculo, augenda videretur, non tamen ideò hos Indos eâdem conditione, quâ alios, tractandos videri, minimâ planè ærarii noſtri utilitate. Etenim ſi pro Miſſionariis triginta jam ſtabilitarum totidem Populationum triginta congruæ,

& in his locis adjumenta neceſſaria detrahantur, ac certa præbendarum regula, ùt alibi locorum, ſtatuenda ſit; certè abſorptum iri, quidquid è tributo percipitur, ac fortè occaſionem fore, ut, ſiquid ad hos ſumptus deeſſet, ab ærario Regio poſtuletur. Supputatis namque accuratis ratiònibus prædictos ſumptus octodecim *Pezzarum* millia conficere. Hunc in modum Indorum tributariorum numero, inde à negotii principiis nondum fixo, ratiocinabantur; quorum binus ſolùm numerus legitimè probatus reperitur: videlicet de Anno 1649., quo partitio onerum facta eſt, novem millium; & de Anno 1734. novemdecim millium, utì legere eſt in informationibus Don Joanni Vaſquez exhibitis.

Cúmque in Regio meo Indiarum Conſilio recogniti ac examinati fuerint tam actus ac informationes citatæ, quàm memorialia, in occurrentibus fortè dubiis à Societate præſentata, aliáque per Conſilii mei Fiſcales longo tempore de hoc negotio tractata; ac conſiderata eſſent omnia per hæc tempora, ac ſæculo integro deſuper edita Decreta Regia, ad ſtatum & progreſſum harum Miſſionum pertinentia; eorum ſumma, cum ſuis circumſtantiis in Giunta de 22. Maji præterlapſi præſentata, majoris claritatis causâ ad diverſa rerum Capita reducta eſt. Quare è re mei Regii ſervitii futurum exiſtimavi, cuivis puncto, eodem, quo mihi Conſilium propoſuit, ordine expreſſam Reſolutionem ſubjungere.

PUNCTUM PRIMUM.

In primo puncto quæſtio eſt, de numero Populationum curæ Patrum Societatis in Provincia Paraquaria commiſſarum.

Quot ſint Indi in quavis ſingillatim, & generatim in omnibus?

Quinam ſint Indi tributo pares, & quantum ſolvant?

An in futurum augenda ſit taxa, & an exigenda, hactenus omiſſa?

CAptis omnibus his notitiis, & ex relatis ſupra informationibus conſtat- - -Populationes Indorum eſſe triginta (ſeptemdecim in jurisdictione Boni aëris, tredecim in Paraquariæ) numerum univerſum Indorum in his eſſe centum viginti circiter aut triginta millium; fide Miſſionariorum Anno 1734. fuiſſe Indorum, tributo obnoxiorum, novemdecim millia, centum, ſedecim: Anno 1649. hos Indos declaratos eſſe receptósque meæ Regiæ coronæ Vaſallos, tanquam præſidiarios finium adverſus Luſitanos Braſilos, & idcirco ab omni alio tributo & perſonali ſervitio exemptos, non niſi unam octo Realium *Pezzam* (in argentea moneta, non item in natura) in agnitionem mei ſupremi Dominii pendere aſtrictos. Id deinde Anno 1661. Regio Decreto probatum ratúmque habitum, ſimúlque mandatum fuiſſe, ut ex hoc tributo Patres Miſſionarii alerentur- - -Anno 1711. ad preces Capituli Eccleſiaſtici Paraquariæ inſinuatum, ut ne quidquam de tributo novaretur.

In

In Inſtructione demum, quæ Anni 1716. Decreto inſerta eſt, mandatur Don Bruno Mauritio de Zavala, Gubernatori Boni aëris, & commendantur Indi harum Miſſionum, non ſine mentione inſignium de corona meritorum; idem Gubernator juſſus eſt, ſecuros certósque reddere Indos: Regalem meum animum nunquam inductum iri, ut, præter ſtatutum tributum & ſuſtentationem Miſſionum & Reductionum, quidquam novi oneris iis imponatur; cúmque de his rebus omnibus edoctus rata habuiſſem omnia; ſtatui, ne, ultra unam in ſingulos *Pezzam*, tributum augeatur, & ut ad hanc normam exigatur tamdiu, dum novus catalogus fiat à Patribus Miſſionariis conſcriptus ad exemplum, ab ipſis, juſſu Patris Aquilar, Don Joanni Vaſquez exhibitum. Si quo caſu ex hac proviſione major minórve, quàm pro fixo Indorum numero, proventus eſſet, ùt antecedentibus annis fuit; Regia mea voluntas eſt, ut illis condonetur, prout hiſce condono. Idcirco mando, ùt his Vaſallis indicetur, bonis eorum ſervitiis & fidelitate ſpectata me ad hoc levamentum iis indulgendum permotum. Et hodierna expeditione injungo Gubernatori Boni aëris, ut novum Indorum tributariorum catalogum, adhibitis Patribus Miſſionariis, conficiat, qui ſexto quovis anno innovetur; ad quod libri baptismales; & mortuales ſervient, cum obligatione Gubernatoris, eos catalogos meo Conſilio transmittendi. Juſſi item, hoc meum Mandatum iis inſinuari ac Inſtructionibus & Patentibus cum propriis eorum titulis inſeri.

PUNCTUM SECUNDUM.

Petitur hoc puncto declaratio - - - quod genus fructuum in his Populationibus proveniat?

Quibus in locis mercatum exerceant, & quod mercium pretium?

Quantum de Herba colligatur quot annis, & quò exportetur?

Cui uſui deſtinetur, & quanti vendatur?

CUm ex propria ſua informatione, aliísque, Conſilio à Don Joanne Vaſquez transmiſſis, documentis univerſim proventus *Herbæ, Tabaci*, aliorúmque fructuum quotannis æſtimetur centum *Pezzarum* millibus; cura autem diſtrahendi & monetâ permutandi Procuratoribus Miſſionum, ob Indorum inhabilitatem, incumbat; & alioqui è Decreto Anni 1645. conſtet, facultatem liberè negotiandi, *Herbámque* aliò (modò ne in favorem & lucrum Patrum Miſſionis) transportandi indultam fuiſſe; cùm item Regio Decreto Anno 1679. monitus fuerit P. Provincialis Paraquariæ de Patrum exceſſu in hac *Herbæ* negotiatione, cum gravi querela civitatis de Aſſumptione, lamentantis: tantâ *Herbæ*, à Patribus è Populationibus ſuis foràs exportatæ, quantitate, gravi ſe detrimento affici, quòd apud ſe conveniente pretio divendi nequeat; unde ad ſubmovendum hunc ſcopulum alio Decreto eodem anno mandatum fuit, ut ne Indis quotannis in dictam civitatem plus, quàm duodecim Arrobarum millia convehere liceret, ut ſolvendo tributo pares eſſent,

eſſent, cùm hanc cauſam Patres ad purgandum ſuum commercium attulerint; adjectáque conditio eſt, ut in civitatibus S. Fidei, & *Corrientes* recognoſcatur exportata, & regiſtretur, & niſi talis regiſtri teſtimonium afferatur, ea perinde ac *Herba* particularium ſequeſtretur: cùm item conſtet, hos Indos immunes eſſe à ſolvendis omnibus juribus, quæ ex *Herba* aliísque fructibus, intra ſuas Populationes divenditis, percipiuntur; per Decretum 4. Julii Anno 1684. innovatum in Inſtructione Anno 1716. Don Bruno de Zavala data; utì item conſtat ex omnibus de hoc negotio antè actis: Patres onere dicti regiſtri liberatos, ídque ſolùm mandatum, ut Gubernatori Aſſumptionis per literas de quantitate transportatæ *Herbæ* ſignificent. Quod hodiedum obſervari è teſtimoniis Regii mei Boni aëris theſauri Miniſtrorum vi Mandati 4. Julii Anno 1684. conſtat. Denique cùm conſtet, è vendita *Herba*, aliísque terræ fructibus, propriáque Indorum induſtriâ centum *Pezzarum* millia, nec ampliùs, quod Patres ipſi affirmant, provenire; ſi triginta Populationes ſuſtentandæ; quarum ſingulæ nongentis aut mille familiis, familia verò quinque capitum cenſeatur; Indi centum triginta millia excedent; inter quos ſi centum millia *Pezzarum* (octo Realibus æſtimatarum) dividantur, ſingulis non niſi ſeptem, nec integri, Reales ad opificiorum inſtrumenta, & ea, quæ ad Eccleſiarum nitorem conſervandum ſunt neceſſaria, obvenient. Quæ demonſtratio ad evidentiam oſtendit, non eſſe Indis fundum, è quo vel tenue adeò unius *Pezzæ* tributum annuum perſolvant. Quibus expenſis conveniens exiſtimavi, ut ſinè ulla novatione methodus eadem,

Indo-

Indorum è Populationibus fructus negotiandi, ùt uſitata fuit hactenus, continuetur. Atque ut Miniſtri, Regii mei patrimonii in Boni aëris, & urbe S. Fidei, quotannis informationes mittant, de quantitate & qualitate fructuum Populationum Paraquariæ, qui in iis civitatibus venduntur; de cujus Mandati accurata obſervatione hodierna expeditione admonentur.

PUNCTUM TERTIUM.

Quæritur hoc puncto, an Hiſpanicam doceantur Indi? Vel: an in nativo & vernaculo retineantur?

INtelligitur ex informationibus, Indos nativo idiomate duntaxat uti, non tam quod à Patribus Societatis prohibeantur Hiſpanicè loqui, ſed maternæ ſuæ linguæ amore; qnalibet in Populatione ſcholam eſſe apertam, in qua legere Hiſpanicè & ſcribere diſcant; magnúmqne numerum eſſe Hiſpanicè, imò & latinè legere & ſcribere doctorum, quin id, quòd legunt, ſcribúntve, intelligant; id quod ipſorum Patrum affirmatione inde accidit, quod principio major ſeveritas adhibita non fuerit; verùm id nec lege præſcribi, nec eis proficuum judicatum eſſe. Quare viſum eſt, Regio meo, quod hodie expeditur, Decreto Patres Societatis majorem in modum obligare, ut in his Populationibus prædictæ ſcholæ conſerventur, curetúrque, ut linguâ Caſtellanâ loquantur hi Indi, per legem 18. Tit. 1. l. 6. *De Recopilation de Indias* tum ſpectato Regali meo ſervitio, tum, ut calumniæ Religioni Societatis in hoc puncto impactæ diſſipentur.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM.

Hoc Puncto quæritur, an Indi particulare ſuorum bonorum Dominium habeant?

Vel an de Dominio iſthoc ſeu adminiſtratione Patribus incumbat rationes reddere?

QUoad hoc caput è transmiſſis informationibus, conſiliis deſuper habitis, aliísque de hoc negotio documentis conſtat: ob hebetudinem & deſidiam in adminiſtratione bonorum, ſingulis annis cuivis portionem terræ ad culturam aſſignari, è qua ſe cum familia alere poſſint; Reliquum de communitatis ſemente in grano, radicibus eſui aptis, & Goſſypio in quavis Populatione adminiſtratur per manus aliorum Indorum, ſub Miſſionariorum directione. Idem fit de *Herba*, & pecudibus, quæ tripartitò dividuntur: pars una ad tributum Regio ærario pendendum, è quo congrua Patrum ſuſtentatio detrahitur; ſecunda pro ornamento & neceſſariis Eccleſiæ; tertia pro victu, & veſtitu viduarum, orphanorum, infirmorum & mancorum, quibus de omnibus neceſſariis eſt proſpiciendum. Siquidem è portione terræ ſingulis aſſignatâ vix id provenit, quod ad ſuæ domûs ſuſtentationem anno toto ſufficiat. De hac adminiſtratione in Populationibus ſingulis rationes exactiſſimæ reddendæ ſunt ab Indis, rationum, fiſci, & horreorum Præfectis: è quorum commentariis & ſcripturis minutim cognoſcitur, quantum fructuum acceptum, expenſúmque ſit. Id tantò fit exactius, quanto graviori præcepto à ſuo Genera-

li Miſſionarii obſtringuntur, ne rem ullam, Indorum propriam, vel eleemoſynæ, vel mutui, vel alio quovis nomine, in proprium uſum vertant; ac ut Provinciali accepti expenſiq; minutam rationem reddant. Confirmat id Reverendus olim Boni aëris Epiſcopus Fr. Petrus Faxardo ſanctè conteſtans, nihil à ſe, dum vivit, his Populationibus ordinatius, nec abſtinentiam huic Jeſuitarum abſtinentiæ parem viſam; quibus nec ad victum veſtitúmque ſui quidquam ab Indo accipere liceat. Cui informationi conſentiunt aliæ nec minus fideles notitiæ, ſpeciatim ultimò transmiſſæ per Reverendum Epiſcopum Boni aëris Fr. Joſephum Peraltam Ord. S. Dominici in litteris de 8. Jan. præſentis Anni 1743. quibus earum Populationum, quæ ſuæ ſunt jurisdictionis; & vacante ſede Paraquarienſi, poſtulatu Capituli, etiam multarum aliarum, huic ſedi ſubjectarum, viſitationem à ſe obitam enarrat; Indósque à prima educatione tam de rebus Religionis, quàm ad Regium ſervitium, & ipſorummet temporale Gubernium pertinentibus adeò bellè inſtructos prædicat, ut ægrè ſe inde avellere poſſet. Quare Regia mea voluntas eſt, nequid in hac bonorum adminiſtratione novetur; ſed, utì hactenus â prima Reductionis origine ad hanc diem, continuetur ipſorummet Indorum conſenſu, quorum bona tanta eorundem utilitate in commune adminiſtrantur à Miſſionariis, non niſi Directorum partes agentibus. Quâ eorum directione pravus eorundem bonorum uſus & adminiſtratio impeditur, in aliis utriusque Indiæ Regnis ac Populationibus alioqui toties experta & deplorata. Et licèt Decreto Anno 1661. inhibitum fuerit, ne ſe Patres Indorum

Pro-

Protectores ferant, non aliâ tamen causâ facta eſt ea inhibitio, ac, quod delati fuerant, Eccleſiaſticæ ac ſæculari ſe jurisdictioni intruſiſſe, & *Protectorum* titulo exactionem tributorum impedire: id, quod nunc veritati adeò non fuiſſe conſentaneum reperitur, ut ejus contrarium luculentis rationibus demonſtretur; nempe tutelam, defenſionem & protectionem eam unicè ad Indos in ſpirituali ac temporali ritè dirigendos à Patribus ſuſceptam fuiſſe. Declaro itáque mandóque, nè ulla parte alteretur methodus, quâ hodie Populationes illæ gubernantur.

PUNCTUM QUINTUM.

Diſcutitur hoc puncto, an harum Miſſionum Indis, alii ſint, quàm ſuæ nationis, Judices? & quis hos conſtituat?

SI in has Populationes Hiſpani Correctores immitterentur, gravia incommoda extitura cenſet in ſua informatione, ad meum Conſilium transmiſſa, Don Martinus de Barva, contra ſententiam Don Bartholomæi de Aldunate; hinc, ùt ex Agueri relationibus conſtat, in quavis Populatione per Gubernatores noſtros conſilio Patrum, Indus Judex (illis *Podeſtà* dictus) præficitur. Præterea ſunt ibidem Judices ordinarii & alii Magiſtratus annui, ab eodem, è Patrum ſententia, electi; & in morem jam tranſiit, ut hi independenter, & è Patrum conſilio ad Gubernatorem transmiſſo, nominentur; quem morem Aguerus perutilem indicat; cùm Patribus ſingulorum ad talia munia habilitas omnium optimè perſpecta ſit- - -Hoc intuitu conveniens judi-

cavi nihil in hoc puncto innovandum; ac præcipiendum (quod hiſce facio) ut mos hactenus uſitatus retineatur.

PUNCTUM SEXTUM.

Quæritur (quod è transmiſſis informationibus conſtat) quibus artibus Nobilibus vel Mechanicis Patres harum Miſſionum Indos inſtituerint?

Quæ artificia vel opificia exerceant?

An arma, pulveres nitratos, vel alia bellica inſtrumenta fabricent?

An mineras & cujus qualitatis metalla, & quo proventu habeant?

HIs de rebus è Proceſſibus à Don Joanne Vaſquez formatis id deducitur, in ſingulis Populationibus artes ac opificia varia exerceri; fabricari ferrea, & igniaria arma; pulveres nitratos, & bellici usûs alia. De mineris nulla extat notitia, nec de ullo metalli genere uspiam auditum eſt. Imò conſiderato Mandato, quod unà cum Decreto 14. Octobris Anno 1641. Pro-Regi Comiti de Chinchon transmiſſum fuit, ut de petito Patris Montoyæ Procuratoris Paraquariæ informaret, rogantis facultatem, omnes veteres Chriſtianos ad defendendos ſuos limites adverſus irruptiones Braſilorum, rapinis cædibúsque usquè graſſantium, in tractandis armis (cùm nullus ibi Hiſpanus miles eſſet) exercendi. Cùm autem Indos armare, metu rebellionis, periculoſum videretur; huic periculo eum in modum obviatum eſt, ut arma ac ſupellex bellica in manibus ac poteſtate Patrum

trum eſſet, nec Indis relinquerentur, niſi quatenus neceſſitas poſtularet; & ut remoto periculo mox redderentur: item ne in ulla Populatione ſeu pulverum, ſeu ità dictæ munitionis plus eſſet, quàm Patres contra formidatas invaſiones neceſſum judicarent; tota verò pulveris & armorum apotheca, vulgo *Magazin*, in civitate Aſſumptionis probè cuſtodita aſſervaretur. Poſſe è ſtipe corrogatâ, vel aliis mediis, Indos nihil gravantibus, à Patribus arma & munitionem comparari; imò ad eos in armis exercendos è Provincia Chilenſi, Coadjutores aliquos evocari, qui aliàs milites fuerint. Simile Decretum 25. Novembris 1642. ad Pro-Regem Marchionem de Mancera datum eſt; nec conſtat, quid ab eo ſit reſponſum: alio 20. Septembr. Anno 1649., ad Gubernatorem Fluminis de Plata dato, vetitum eſt, ne quid novaret de exercitiis Indorum militaribus, unam ſui defenſionem ſpectantibus. Tametſi autem alio Decreto 10. Junii 1654. Paraquariæ Gubernator juſſus eſt, inquirere de igniariis armis per Indos fabricatis, quorum uſum edocti fuerant à Patribus Societatis; ut nempe opportunis mediis, malis inde fors ſecuturis, præverteretur; eodémque Decreto declaratum eſt, ut & arma, quæ in eo Gubernio erant, & Capitanei ac Officiales omnes ab ejus mandatis penderent, ſine quo quidquam tentare nefas eſſet; quod Decretum innovatum eſt 16. Octobris Anno 1716. atque P. Provinciali Societatis ad ejus notitiam & obſervantiam inſinuatum. Hoc non obſtante (cùm Patres Societatis ſe purgarent: inducta à ſe arma ob timorem, ne inermes, & ab omni defenſione deſtituti Indi eadem damna perſentiſcerent, quæ aliàs à Lu-

ſitanis ac nationibus aliis, abductis in ſervitutem trecentis millibus hominum, civitates diverſæ perſenſerant; cui malo avertendo in hujus Provinciæ defenſionem inducti fuerint ad petendum Hiſpanicæ militiæ præſidium;) hoc inquam non obſtante aliâ Regiâ expeditione de 30. April. Anno 1668. Præſidi de Charcas injunctum, ut cum duobus Commiſſariis & totidem antiquioribus Patribus Societatis deſuper conſultarent, & perquirerent; quis modus divino, meóque ſervitio, ac communi meorum Vaſallorum bono foret convenientior? ſuam inde ſententiam ſignificarent, ac interim nihil novarent, nec arma adimerent à Religioſis in ſuis Reductionibus cuſtodita; non obſtante Decreto altero 16. Octobr. Anno 1661. relinquenda omnia in ſtatu, quo antè fuerant. Poſtmodum Anno 1672. 15. Novembris Paraquariæ Gubernator per Decretum monitus eſt, ne quidquam novaret de iis, quæ memorato Decreto Anno 1661. præſcripta fuêre; &, ſi executioni data fuiſſent, quæ dicto Decreto injunguntur, id exequi juberet, quod alio Decreto Anno 1672. continebatur. Pariter altera expeditione 25. Julii An. 1670. ad Pro-Regem Peruviæ, ad inſtantiam Gubernatoris Paraquariæ, repræſentantis hoſtilitates continuas inimicorum hujus Provinciæ, & inſultationes Luſitanorum Braſilorum, in has inermes Populationes incurſantium; decretum fuit, ut Indi Paranæ, & Uruguay retinerent & exercerent igniaria arma ſecundum anteriora Decreta, præſertim de 25. Novembris Anno 1642. & arma per Decretum Anni 1661. adempta Religioſis Indísque reſtituerentur, atque his tractandis ſe exercerent, ùt antea iis fuerat conceſſum. Hæc omnia col-

lecta,

lecta, confirmatáque fuêre in Inſtructione, Don Bruno Mauritio de Zavala datâ Anno 1716. inſinuatúmque, quàm utile ſit, Indos tractandis armis aſſuefacere, quámque Regio meo ſervitio ad harum ditionum defenſionem conveniens. Perpenſis his omnibus conſtitui, ne in illo memoratorum hactenus puncto novitas aliqua inducatur, hactenus uſitatis contraria; & ut porrô continuetur armorum tractatio, & dictæ ſupellectilis bellicæ fabricatio. Demum ad removenda omnia, inde fors emerſura incommoda, hodiernâ ad Patres Societatis expeditione injungitur Provinciali, ut in ſua viſitatione, conſultis Miſſionariis, diſquirat, quid in caſu obortæ fors inter Indos ſeditionis faciendum, providendúmque videretur? ídque Regio meo Indiarum Conſilio ſignificet.

PUNCTUM SEPTIMUM.

Inquiritur, an unquam receptum fuerit, ut decimæ ab Indis exigantur?

Et an harum pars aliqua applicata fuerit in adjumentum Reverendi Epiſcopi, Suæque Cathedralis?

Quâ forma diſtribuantur?

COnſideratis hac ſuper quæſtione documentis omnibus, & repræſentato poſtulato Epiſcopi Boni aëris, querentis: Indos curæ Patrum Societatis commiſſos, Eccleſiæ ſuæ eſſe omnino inutiles, cùm eam, decimas & primitias perſolvendo, nunquam agnoverint; hinc 15. Octobr. Anno 1694. decretum eſt, ut impoſterum, Indi cum aliis Diœceſanis

ſanis decimas conferant; quod Mandatum iteratum innovatúmque eſt Paraquariæ & Boni aëris Gubernatoribus, commendando eodem tempore Epiſcopis, ut Regio meo Indiarum Conſilio, authentico atteſtato ſignificent, quantum omni anno perſolvatur. Cùm autem conſtet ex authentico Capituli Paraquarienſis atteſtato; in eo Epiſcopatu ab immemorabili tempore Populationes Indorum, in cura Sacerdotum ſæcularium, & Religioſorum S. Franciſci degentium, nullas decimas ſolvere; cui ſe omnes informationes ultimò perceptæ conformant; ideò attentis inconvenientibus, fortaſſe è nova impoſitione enaſcituris, conſtitui, ne quid hujus rei novetur. Quia tamen juſta adeò eſt decimarum penſio, hinc eodem tempore mandatur Provinciali, ut cum ſuis Miſſionariis de modo & forma conſultet, quâ Indi nomine decimarum aliquid contribuant.

PUNCTUM OCTAVUM.

Diſquiritur, quid ſibi velint, cui rei ſe applicent tot Patres, ad Miſſiones Paraquaricas profecti & proficiſcentes, cùm Reductiones numerum triceſimum non excedant?

An iidem Patres pergant, Gentiles ad fidem & novas colonias adducere? aut an in fundatis jam & ſtabilitis ſe detineant?

QUoad hoc punctum conſtat ex informationibus Agueri: euntium ad Miſſiones dictorum Religioſorum Novitios quidem ad Collegium Cordubenſe, alios verò Profeſſos ad Collegia & Miſſiones adire; ut ſenibus Miſſionariis ac Curatis

ratis adjumento ſint, ac percepto Barbarorum idiomate, habiles olim Miſſionarii, & Curiones ſuccenturientur; cæterùm non conſtare, quod ſe ad novas converſiones, & fundandas colonias applicent; quamvis ſubinde è montibus convertant & reducant familias, quæ aliàs jam ſtabilitis Populationibus aggregatæ poſtmodum defecêre. Hoc de puncto denuo conſultati Patres reſpondêre: ſupernumerarios in his locis Miſſionarios ſæpiùs ſpirituales ſuas excurſiones in vicinos Infidelium montes facere; atque ad fidem adductos fundatis jam Populationibus aggregare. Præterquam, quod è pluribus ſcriptis ac documentis conſtet, eos non intermiſsâ curâ reducendi eos, qui defecerant; alibi etiam novas Reductiones moliri; ùt ex recens fundatis Indorum Ciquitarum, Ciriquanorum, de Chaco & Pampas, Populationibus manifeſtum fit; unde appareat: Patres in ſpiritu non modò non obtepeſcere, ſed ad plures animas Chriſto lucrandas, ſervidiores indies & zeloſiores fieri. Hôc poſitô, cùm nulla ſit aliud ſtatuendi cauſa, - - -Regia mea voluntas eſt, ut hoc in capite nihil omnino innovetur. Atque ut de progreſſu harum Miſſionum exactè informatus ſim, hodierna expeditione Patribus mandavi, ut quaqua occaſione Regio meo Indiarum Conſilio de Miſſionum harum incremento, & ſpiritualium finium amplificatione ſignificent.

PUNCTUM NONUM.

Tractat hoc punctum: an Reverendus Epiſcopus Paraquariæ viſitaverit has Populationes ad impertiendum ſacri Chrismatis Sacramentum?

Quamdiu viſitatio hæc omiſſa ſit?

EX informationibus, aliísque documentis dicti Don Joannis Vaſquez conſtat: Paraquariæ Epiſcopum ſemel ac iterum Populationes omnes obiiſſe; & Reverendum Faxardo, aliàs Boni aëris Epiſcopum idem præſtitiſſe, ambos verò Confirmationis Sacramentum adminiſtrâſſe; certum item, Epiſcopos omnes, qui voluêre, viſitâſſe; de quo variæ ad Regium meum Conſilium relationes extant, non ſine mentione creſcentis boni ſpiritualis; quod nuper Boni aëris Epiſcopus in ſuâ hujus anni epiſtola confirmat; nec querela unquam audita eſt, huic ſe viſitationi quempiam oppoſuiſſe; his de rebus certo mihi, nihil de novo conſtituere fuit animus.

PUNCTUM DECIMUM.

De ſtatu Eccleſiarum curæ Patrum commiſſarum.

De Aſſiſtentia Sacrorum, cultûsque divini promovendi ſtudio.

SEcundum informationem dicti Agueri, ea fuit Patrum in fabricandis Eccleſiis, aſſiſtentia, ornamentis, nitore, munditie, ſplendore, comparandis argenteis vaſis, ſacris para-

paramentis, cæterísque neceſſariis ſolicitudo; ut cultus divinus nequeat eſſe exactior, ſplendidior, devotior; ùt notitiæ omnes, ac ipſi Societatis æmuli, & moderni Epiſcopi citatæ de 8. Januarii hujus anni literæ confitentur. Ut adeò hodierna expeditione Patribus de eorum zelo & applicatione gratias agere decreverim.

PUNCTUM UNDECIMUM.

Agit de antiquitate cujusvis harum Populationum.
Et an lapſis à prima fundatione decem annis, non jam Miſſiones, ſed Doctrinas vel Parochias Sæculares eſſe oporteat.

MAturè expendi, quidquid in informationibus è Boni aëris transmiſſis, aliísque antecedentibus notitiis refertur; nempe perantiquas has Populationes eſſe, & An. 1654. cœpiſſe eſſe *Doctrinas* vel *Parochias*, cùm priùs *Reductiones* appellatæ fuerint. Id quod è Regiis Decretis colligitur, quibus Anno 1650. & 1651. ob diſcordias, inter Reverendum Epiſcopum Cardenas & Societatem JESU obortas, Regiæ meæ Audientiæ de Charcas demandata eſt Pacis in Paraquaria procuratio, & obſervatio Regii mei Juris Patronatûs in dictis Doctrinis & Parochiis, atque ut Patribus ſuæ domus, Bona & Doctrinæ, quibus ab Epiſcopo ſpoliati fuerant, reſtituerentur. Et ſi Patres ſuis in Reductionibus retinendi ſint, obſervaretur ſemper conditio expreſſa Regii Juris Patronatûs. Item alio Decreto declaratum eſt 15. Junii An. 1654. quales oporteat eſſe Patrum Societatis in Paraquaria

Doctrinas & Parochias, nec, ut hactenus, *Reductiones*; nempe: ut pro harum qualibet Patres Vice-Patrono tria ſubjecta præſentent, quorum unus Curio eligeretur; ùt ubique alibi in uſu eſt. Quodſi Religio hanc ſubjectionem non acceptaret; Gubernatores & Epiſcopi, ſinguli in ſua Provincia, Parochias alteri ſæculari Sacerdoti, vel, in hujus defectu, alterius Ordinis Religioſo conferrent. Quodſi verò Societas ſe obligaret ad obſervandas omnes leges Regii mei Patronatûs, relinquendam illam in poſſeſſione & adminiſtratione dictarum Doctrinarum; quâ de re præventiva notitia ad Regiam Audientiam *de la Plata* miſſa eſt, additúmque, ut, quoties Superior vel Prælatus regularis de Societate quempiam ſuorum Religioſorum Curionum removendum judicârit, id illi liberum foret, quin remotionis cauſas afferre teneatur; dummodò rurſus pro Parochia vel Cura vacante, modo ſupra dicto, ad delectum alios proponat. Et poſtquam Paraquariæ Gubernator in executione prædicti Decreti indicavit: Provincialem Societatis, præſcripta omnia ſe ad amuſſim obſervaturum, promiſiſſe; prædictas Doctrinas Societati, ùt ſuas proprias, adjudicavit & conſignavit; quo facto ab eodem Superiore vel Prælato tres ſuorum Religioſorum pro ſingulis Parochiis propoſiti ſunt, lectíque magìs idonei, quibus à Prælato Eccleſiaſtico eæ deinde traditæ fuêre. Et ut impoſterùm eædem, ùt approbatæ & Regii Patronatûs propriæ, agnoſcerentur; 10. Novembr. Anno 1659. Decretum expeditum eſt, quo acta Gubernatoris omnia probabantur. Atque hæc norma in hanc diem obſervatur, Legésque & Regii mei Patronatûs jura in his Populationibus ritè ſtabilita

ſunt,

ſunt, & Parochiæ benè adminiſtrantur. Conſtitui proinde, ut ſinè ulla novitate: nullo eorum onere, res, quo ſunt, loco, in cura Patrum Societatis retineantur.

PUNCTUM DUODECIMUM.

Quid cauſæ poſſit eſſe, cur Gubernio Paraquariæ ſubjectæ non ſint hæ Populationes, quæ intra ejus jurisdictionem continentur.

EXtat Decretum meum de 14. Octobris Anno 1727. ut triginta Populationes Patrum Societatis in Paraquaria in jurisdictione & obedientia Gubernatorum Boni aëris cenſeantur, quousque aliter non diſponerem. Editum eſt hoc Decretum occaſione recursûs P. Procuratoris harum Miſſionum ob graves nec ſine fragore excitatos motus; cùm Don Joſephus de Antequera Paraquariæ Provinciam gubernaret: Et poſtquam jam expediveram ea, quæ ſuper hac deliberatione fieri mandabam; remonſtravit Don Brunus Mauritius de Zavala, quàm gravia diſſidia è Mandati mei executione (in quatuor ſaltem urbi Aſſumptionis vicinioribus Populationibus) enaſci poſſent; quare conſentiente Paraquariæ Gubernatore ſtatui, ut quatuor dictæ Populationes retinerentur in ſua jurisdictione tamdiu, dum ego meliùs edoctus aliter ſtatuerem. Poſtquam de toto negotio edoctus ſui; in Giunta Regii mei Indiarum Conſilii, omnia à Don Bruno Mauritio de Zavala diſpoſita approbavi & confirmavi. Et quamvis poſt meam determinationem Mandatum 5. Septembr. Anno 1733. expeditum fuit; reperitur nihilominus, adhuc Anno

1736. quo de Aguero ſuas informationes transmiſit, tredecim Paraquariæ Populationes jurisdictioni Gubernatoris Boni aëris fuiſſe ſubjectas; idipſum memoriale à P. Provinciali harum Miſſionum præſentatum confirmat, quo docet: ad hunc, non verò Paraquariæ Gubernatorem, tam in confirmatione *Poteſtatum*, ſeu Judicum, quàm aliis ad tredecim has Populationes pertinentibus negotiis ſolere recurri; Decretúmque de quatuor aliis ſupra dictis Populationibus executioni non fuiſſe datum, fortaſſe ex causâ, quòd, dum id pervulgari oportuit, tota Paraquariæ Provincia ſeditionibus fuerit agitata; nec judicatum fuerit expedire, ut tum eas uniendo, majorum turbarum anſa ac fomentum præberetur- - - Quare cùm ex omnibus documentis ſcriptísque hâc de re nulla aliter ſtatuendi ſit neceſſitas, determinavi, ut neque in particulari hoc negotio quidquam innovetur.

Intellecto denique, contra Societatem JESU, inter cætera, etiam ſpargi: ab ea in harum Provinciarum Miſſiones etiam exterarum nationum ſubjecta acciri: cúmque id per Regia Decreta fieri meminiſſem, & quod Anno 1734. meo Decreto 17. Septembris Generali Societatis indulſerim, ut in quavis Miſſione, Societatis curæ, & meæ Indiarum ditioni ſubjecta, Miſſionariorum eò mittendorum quarta pars Germani eſſe poſſint, qui in omni occaſione fuêre fideliſſimi, ùt conſtat è ſingulari Anni 1737. eventu, quando P. Thomas Werle, natione Bavarus, in Colonia Sacramenti, cum quatuor Indorum Guaranorum millibus, ab hoſtibus ictu ſclopeti fuit interfectus; certior igitur de his omnibus redditus judicavi, admonendos Patres (quod hac expeditione facio)

cio) ut omni cautela utantur, præſertim circa ſubditos Principum mari potentium.

Ad extremum, quia & ex iis, quæ in ſupra notatis punctis dicta ſunt; & ex omnibus antiquioribus ac recentioribus ſcriptis, â meo Conſilio diſcuſſis, &, ùt negotii momentum poſtulat, maturè expenſis; & è tot actis verificè probatis manifeſtum eſt: in nulla parte Indiæ majorem recognitionem, ac ſubordinationem mei Dominii; nec Regium Patronatum, aut Regiam & Eccleſiaſticam jurisdictionem ullibi inter Indos magìs, ac in his Populationibus, ſtabilitam eſſe. Item cùm è continuis viſitationibus Prælatorum Eccleſiaſticorum & Gubernatorum & è cæca Indorum obedientia conſtet; quod quotiescunque ad defenſionem Regionis, vel expeditionem aliam evocantur; ſemper ad quodvis Mandatum quatuor aut ſex millia armatorum Indorum compareant: - - - Conſtitui expedire Decretum, quo Patri Provinciali gratum meum animum conteſter, & de tot calumniis & impoſturis Don de Aldunate & Barva, per tot luculenta argumenta, diſſipatis gratuler; ſperémque Societatem, ſervitio Divino, meóque & pauperum Indorum ſaluti tam intentam, deinceps eodem zelo & in colendis Indis, Indorúmque Reductionibus fervore continuaturam.

Cúmque hæc ſint, quæ de prædictis rebus ſtatuere conveniens judicavi - - - Præſente Decreto mando meis Pro-Regibus Peruviæ & Novi Regni Granatæ, Præſidenti & Commiſſariis Regiæ meæ Audientiæ de Charcas, Gubernatoribus item Paraquariæ & Boni aëris, aliísque Regii mei Patrimonii Officialibus; & rogo, injungóque Admodum Reveren-

verendo Archi-Epiſcopo Metropolitanæ civitatis de la Plata, & Reverendis Epiſcopis dictarum Provinciarum Paraquariæ & Boni aëris, eorúmque Capitulis, ac generatim omnibus aliis Eccleſiaſticis & Sæcularibus mearum in America ditionum Judicibus, ad quos vel in parte vel toto Regii mei hujus Decreti, in duodecim punctis expoſiti, obſervatio pertinere poteſt; ut in ſua jurisdictione & diſtrictu omnia, dicto meo Decreto contenta, ſine exceptione, morâ, vel dilatione ullâ, rebus ipſis, quidquid imperatum eſt, exequantur; cui ſi contrarium fecerint, ſciant, ſe gravem meam indignationem incurſuros. Volo inſuper, ut, quibus ſingillatim quidpiam per hoc Decretum injunctum eſt, de percepto eodem Decreto, & iis, quæ ad ejus executionem præſcribuntur, à ſe intellectis, me certiorem reddant. Hæc libris rationum à Regii mei Indiarum Conſilii Officialibus inſerantur, nec non aliis Secretariarum meorum Dominiorum Archivis, ad quæ pertinent.

Datum in Buenretiro die 28. Dec. Anno 1743.

EGO REX.

De Mandato REGIS
NOSTRI DOMINI

DON MICHAEL DE VILLANOVA.

Præſcribuntur obſervanda in Miſſionibus & Populationibus Indorum in Diſtrictibus Paraquariæ & Boni aëris, curæ Patrum Societatis JESU commiſſis.

EPISTOLA

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Fr. Joſephi Peralta Ordinis Prædicatorum, Epiſcopi Boni aëris ad Suam Majeſtatem Regem Catholicum Hiſpaniarum PHILIPPUM V. quâ de ſtatu Miſſionum Boni aëris & Paraquariæ informatur.

Literis 28. Junii lapſi Anni 1741. certiorem reddidi Suam Majeſtatem (poſtquam teſtimoniales, in Regio Conſilio reviſas, cum executoriali ad Veſtram Majeſtatem, cujus originalia nunc primò in manus venêre, Limæ recepi;) me mox ſecuto Novembri, ſuſceptâ conſecratione, primâ Navi è Portu Cagliado profectâ, 12. Januarii Chilenſe versùs Regnum ſolviſſe: quòd maris & claſſis Anglicæ periculis, quæ ea æſtate mare *del Zur* tranſitura timebatur, me objicere mallem, quàm longum & odioſum terreſtre iter inire; quod meum in hanc urbem, & Cathedralem adventum, diu retardâſſet: impellebárque deſiderio meas oves conſolandi quamprimùm, & ad conſtantiam in religione Catholica, & obſequio ac fide erga Veſtram Majeſtatem animandi; id quod mihi Regia Sua Majeſtas de 8. Auguſti Anni 1740. commendare dignata eſt, præſertim ſi fors Angli in portubus fluminis Plata excenſionem tentarent. Appulſus in Valparaiſo, Principe hujus Regni portu, quin ur-

bem ſubirem, ſine mora, iter inivi longè difficillimum, ob vias confragoſas & abruptas, ac varia climata, jam in Cordilliere montibus nive coopertis, jam in planis, ſolis ardore toſtis; præter varia vitæ pericula ab invaſionibus ferarum, & Barbarorum, qui è cubilibus ſubterraneis, in medio montium prorumpentes, aſſiliunt & interficiunt viatores; ùt proximè præterlapſis duobus annis cum multorum cæde contigit. Simul ac meæ jurisdictionis fines ſubivi, mox initium feci viſitationis omnium Populationum, Parochiarum, Eccleſiarum, & Sacellorum; quam ſubinde, captâ Cathedralis meæ in urbe poſſeſſione & ampliùs decem millibus omnis ætatis & ſexûs Sacramento Confirmationis initiatis, feliciter terminavi.

Terminatâ hac viſitatione, ad viſitandam urbem S. Fidei, & Populationem *le Correnti* dictam, omnésque Populationes in hac Terra, curæ & directioni Patrum Societatis JESU commiſſas, tranſivi. De his itaque, quæ ipſe vidi, & pro Paſtorali meo officio, & ad exonerandam Majeſtatis Suæ conſcientiam, diligenter obſervavi, exiſtimavi meum eſſe, ut minutam notitiam darem rerum omnium; ad hoc ut Sua Pietas dignetur Suâ Regiâ protectione, & aſſiſtentiâ hos humiles & fideles ſuos Vaſallos in iis rebus, quibus indigent. Nec dubito, Regio zelo Suo magnóque animo magnæ voluptati fore hanc enarrationem.

Civitas S. Fidei ad centum leucas à Boni aëris diſſita, olim tam in hac, quâm in Paraquariæ Diœceſi florentior fuit cæteris, magno Nobilium numero habitata, bene ædificata, duobus fluminibus & ſui territorii fertili agro felix.

A pau-

A paucis annis collabentibus fabricis, & incolarum numero imminuto admodum defecit, ob perpetuas incurſiones Indorum, quos vocant *Gûaycuruſe Carvas*, barbaræ & crudelis gentis ad Annum usque 1716. ignotæ, & intra montes Hiſpanorum, quos viribus ſuperiores credebant, timore reconditæ. Pedetentim deinde ad vaſtandos agros pecorúmque rapinam effuſi ſemper audaciores evasêre; donec erectâ militiæ ſpecie, raptísque equis adjuti, indies creſceret eorum inſolentia, & proditionibus ferè vel inſidiis graſſarentur: quod Barbaris illis proprium, qui inde à Chilenſi regno ad remotiſſimos Paraquariæ fines ſe protendunt. Et quia hac belli ratione improviſos ferè & inermes, eósque maximè adoriuntur, qui in prædiis aut villis terræ colendæ ac pecudum cuſtodiæ vacant; hinc quamplurimi occiſi ſunt, quin inſidiantium horum latronum multitudini reſiſtendo eſſent; quorum minima crudelitas eſt, pecora abigere, & fœminas omnes in ſervitutem abripere. Inter multos bonis ſuis per hos Barbaros exutos, Societatis Collegium in hac urbe eſt, cujus villa haud procul urbe funditus everſa, deſertáque jacet. Quâ jactura Collegii hujus incolæ in ſumma pauperie & anguſtiis vivunt, & corrogata ſtipe ſe alere coguntur, ut poſſint populo catechiſmis, concionibus, confeſſionibus, aliísque ſpiritualibus adjumentis aſſiſtere. Timor tantus, ne Barbarorum præda fiant, omnes invaſit, ut propinquos urbi agros periculi formidine omnino deſeruerint coloni, & in remotiora loca majoris ſecuritatis causâ ſe contulerint.

Gens hæc in eas anguſtias redacta eſt, ut quamvis pace quali quali cum Barbaris factâ, agros tamen nisì urbi propè adſitos non colant, armentáque ſua non nisì paucis horis ad paſcua educant, & ante ſolis occaſum in urbem, rapinarum metu, reducant. Nec pax cum Barbaris icta metum hunc adimit; cùm ſecuritatem ſolùm vitæ, ac libertatis, non item rerum pepigiſſe ſe Barbari dicant. Quanquam per infidam hanc pacem nec vita ſecura eſt, dum ſpoliorum causâ multi trucidati fuêre. Talium periculorum & egeſtatis causâ multæ familiæ in montes diffugêre: ubi nec vocem Paſtoris audiunt, & Sacrificii ſolatio, & verbo Divino & Sanctiſſimi Sacramenti pabulo in extrema ſua calamitate ac neceſſitate deſtituuntur.

Equidem ad conſervandam hanc qualem qualem pacem, agmen aliquot militum armatorum alitur, quorum tamen multis ager colendus foret, ſed præterquam quod hi pauci ad propulſandos Barbaros non ſufficiunt, eorum numero jam prope ad dimidium imminuto, militiæ defectu indefenſi ſunt. Id quod Majeſtati Veſtræ inſinuandum putavi, ut hoc militare agmen ſuppleatur, & eodem, quo priùs, numero retineatur; vel alia ratione miſeris proſpiciatur, ut Majeſtati Veſtræ convenientius videbitur.

E Sanctæ Fidei civitate, ad viſitandas Populationes & Reductiones Miſſionum curæ Patrum Societatis creditarum, centum amplius leucis diſtenſarum transgreſſus ſum itineribus ſcaberrimis, ob vias deſertas, ferarum & Barbarorum crudelitate infeſtas, grandiáque intercurrentia flumina longè periculoſiſſimas. Populationes hæ triginta ſunt numero,

ro, quarum ſeptemdecim Dioeceſi Boni aëris, tredecim Paraquariæ ſubjiciuntur. Viſitatis iis ſeptemdecim, quæ meæ Dioeceſis ſunt, Sacrum Chriſma in Paraquaricis aliquot adminiſtravi, cum facultate, & poſtulatu illius Capituli, Sede vacante. Et quia non dubito, Regium Majeſtatis Veſtræ Catholicæ Zelum magnopere gaviſurum, intellecto ſtatu & progreſſu miſerorum horum Indorum, ſuorum humillimorum Vaſallorum, ea tantùm hic exponam, quæ oculis his meis vidi, & manibus, ut ita dicam, attrectavi incredibili meo ſpirituali ſolatio; adeò ut leves mihi viderentur quanticunque in operoſiſſima hac viſitatione perpeſſi labores. Cùm viderem tantam ovicularum, etſi diverſis & longè inter ſe diſtantibus locis diſperſarum multitudinem tantâ tamen obedientiâ in omnibus rebus â Paſtoris ſui voce pendentes, ut ſi uno omnes in ovili conſiſterent.

Cùm inde abeundum mihi eſſet, vix ſine magno dolore avelli poteram, tenero ſanctæ devotionis ſenſu adeò repletus, ut conſtanter Domino noſtro gratias agam pro copioſa adeò benedictione, quam ſuper hos populos operâ ſanctorum horum Religioſorum, & Apoſtolicorum Societatis JESU virorum effundit; qui perpetuò occupantur in inſtruendis, ſempérque magis in Catholica fide ſolidandis, magísque in obſequio Veſtræ Majeſtatis confirmandis his populis, qui tantam alacritatem, applicationem ac fervorem in eo præſeferunt, ut id à majoribus hæreditate traxiſſe videantur. Videre Eccleſias, decorem cultûs divini, pietatem & devotionem in altaris miniſterio, amœnitatem ſacrarum cantionum, ornamenta altarium, magnificentiam in cele-

bratione Divini Sacrificii, amorem in Jesum Christum in Sacramento latentem, ùt in me ex una parte teneritudinem inexplicabilem excitabat, ita confusione me replebat ex altera, conspectâ tantâ differentiâ inter populos recens ad fidem adductos, & alios veteres Christianos, quibus ex illorum pietate discendum foret, quâ observantiâ communis omnium Dominus colendus & adorandus esset. Quod autem tenerrimè me commovebat, erat videre primo manè exercitum puerorum & puellarum, separatis pro sexu agminibus convolare ad Ecclesiam, Dominúmque dulcissimos inter & devotissimos cantus laudantium. Hæc parvulorum supplicatio rursus quotidie in omnibus Populationibus, & Ecclesiis ante solis occasum cernitur; ut cum veritate affirmare ausim, his in Reductionibus manè & vesperi, ùt scriptura ait, velut diem unum, eúmque diem Domini esse. Atque hi fructus sunt industriæ, vigilantiæ, zeli, quo sancti hi Societatis Religiosi educant, edocéntque suæ curæ commissos populos.

Nec zelus hic & vigilantia ad spiritualem duntaxat hujus gentis animarum culturam, sed corporum etiam temporalem provisionem pertinet. Postquam de necessariis pro templorum fabrica, & cultu divino prospexêre; unà cum iis exeunt ad recognoscendos seligendósque campos, sementi grani, & Gossypio producendo aptiores. His delectis boves iisdem, aratra, & sementem subministrant, tantâ erga omnes providentiâ & charitate, quæ satis explicari vix possit. Pro parvulis & orphanis seorsim singularis sementis jacitur, quæ messis distincto œconomo consignatur,

cujus

cujus eſt, ſingulis indies providere. Seorſim item ſeritur pro viduis, ídque in agris vicinioribus Populationis; ut ne debiliores alioqui fœminæ, quarum aliæ morbidæ, aliæ ætate provectæ ſunt, in facienda remotiore meſſe nimiùm fatigentur. Reliquâ anni parte ſui ſexûs laboribus, & ducendo Goſſypino filo occupantur; quod poſtea ab Indis ejusdem Populationis textum pro veſtiario ſervit, quâ providentiâ omnes honeſtè nitidéque veſtiti incedunt.

Ne Divinus cultus negligatur, ſeparatam pro parvulis ſcholam aperiunt, quorum pars cantum edocti, muſicum deinde chorum conſtituunt; pars ad ſaltum & choreas, in Feſtis Domini adhiberi ſolitas, exercentur. Pro his Scholaribus alendis ſementis & meſſis propria deſtinatur. Verbo Populationes hæ tam ſpectabilis tam digna Regii patrimonii pars ſunt; ut Majeſtas Veſtra quidem parem, non autem meliorem habere poſſit.

Et cùm omnes hæ meſſes perſæpe ſementi malignè reſpondeant, vel, ob nativam timiditatem & hebetudinem gentis, paucis contentæ, negligantur; ſancti tamen hi Miſſionarii experientiâ docti, quotannis ſementem rurſus aliam cæteris majorem fieri curant; ex quâ demeſsâ, & aſſervatâ ſub anni exitum, neceſſitati & defectui ſingulorum ſubveniunt. Si hâc etiam providentiâ nondum ſat conſultum ſit, & improviſo caſu fallat meſſis, pecora ſubſidio ſunt, quæ hâc unicâ causâ ſeparata cuſtodiuntur à reliquo grege, quorum carnes dein per anni decurſum ægris perinde ac valentibus ſubminiſtrantur.

Ex

Et his cum communibus tum ſingularibus meſſibus nullum unquam fit commercium, nec in alias Provincias exportatur quidquam; ſiquidem etiam adhibitâ hâc tantâ providentiâ nunquam tamen ſecuri ſunt Patres, an ad anni totius ſuſtentationem ſuffecturæ ſint proviſiones.

Colunt præterea certum genus arborum, quæ fructus induſtriæ veriùs appellari poſſunt; quarum folia calore leniſſimi ignis ſiccata in pulverem tenuiſſimum artificiosè redigunt. Hæc *Herba* è ſolo, ubi primum detectæ fuêre hæ arbores, Paraquarica dicta, his Provinciis, totíque Peruvio notiſſima, ita nuncupata, vel quia primæ arbores hujus *Herbæ* in hac regione repertæ ſunt; vel quia ferè unicum, aut certè potiſſimum ejus *Herbæ* commercium in eadem exercetur. Uſus non viris duntaxat, ſed & fœminis, & omnium Populationum parvulis communis eſt, quibus manè & veſperi certo dimenſo præbetur. Et quia arbores hæ non ubivis, nec in omnibus Miſſionum Populationibus proveniunt; neceſſe eſt, aliunde eam accerſere, cùm omnibus, non minùs ac alimentum, neceſſaria ſit. Frequentiores Populationes, ſavente tempeſtate, mille *Arrovas;* (Arrova viginti quinque 16. unciarum libras pendit,) aliæ octingentas; minùs numeroſæ vix ducentas elaborant. Subinde parcior etiam eſt proventus; cùm enim è ſolis foliis conficiatur, arbores his nudatæ non niſi duos tresvé inter annos denuò ſe iis plenè conveſtiunt, & ad maturitatem perducunt; ùt ipſe in mea viſitatione vidi.

Hic unicus fructus commercium alit, & his in Provinciis ac Peruvio venditus, levamentum aliquod & lucrum parit,

parit, quo debitum Majeſtati Veſtræ Vaſallagium nempe 9440. *Pezzas* perſolvunt. Pars lucri DEI ac Majeſtatis Veſtræ ſervitio impenditur; pars cultui Divino, ſplendori templorum & feſtorum, comparandis pretioſis vaſis & ornamentis; pars altera ad uſum non minùs utilem ac neceſſarium ſeponitur, qui in eo conſiſtit: præter Miſſionarios & Miniſtros Evangelicos pro DEI gloria & animarum ſalute in his Populationibus deſudantes, ſemper ad manum habenda ſunt ſupplementa eorum, qui linguam Indorum probè edocti, demortuis illico ſubſtituantur, ùt inter meam viſitationem duo diem obiêre. His ſuſtentandis & ex Europa deportandis hoc lucrum deſervit, præter ſummam à pietate & Regio Majeſtatis Veſtræ zelo collatam; cùm incredibile ſit, quantis impenſis ſtent hi trajectus, præſertim ſi quo caſu retardentur, ne Gadibus conſcendant, ùt præſente bello accidit.

Pars altera hujus emolumenti impenditur comparandis equis, armis, veſtimentis militum, ſemper ad ſervitium Suæ Majeſtatis, ad quamcunque expeditionem accinctorum, ſæpè etiam in operibus publicis elaborantium, ùt jam nunc in extruendo munimento *Monte video* occupantur. Præterquam quòd neceſſarii ſint ad tuendas Populationes, & armenta adverſus perpetuas incurſationes & hoſtilitates circumjacentium Infidelium, nunquam non eorum rebus, libertati & vitæ inſidiantium. Ob has prægrandes impenſas ſæpe propè ad incitas rediguntur; quando Patres Miſſionarii nec omnibus nec per omnia ſatisfacere valent, ſterilibus præſertim annis, & *Herbæ* proventu ſeu per gelu ſeu per ſiccitatem parciore.

Ea propter, eos jam inde à prima fundatione decimarum, ſeu ex grano ſeu ex *Herba* ſolvendarum, immunitate gaudere exiſtimo; quod tam de meis quàm Paraquaricis Populationibus intelligendum eſt, ſeu à Patribus Societatis, ſeu Glorioſi S. Franciſci Patribus procurentur. Et quamvis non deerant, qui ad decimas exigendas me exiſtimularent; eas tamen petendas non putavi, quod miſerorum horum Indorum labor nequaquam in proprium eorundem emolumenrum cedat, ùt aliis populis harum flumini *Plata* adjacentium Provinciarum, Peruvii & Chile, ſuo lucro terram colentibus; ſed omnia omnino, præter ſui ſuſtentationem, cultui Divino, & Majeſtatis Veſtræ ſervitio impendantur; in quos ſumptus ægrè lucrum ex eorum labore partum ſufficit; undè cùm nulla eſſet in oppoſitum ratio, in eadem, quâ gaviſi fuerant hactenus, immunitate relinquendos judicavi.

Quod poſt DEI cultum ad ſervitium Veſtræ Majeſtatis attinet, à ſerventibus iis Religioſis adeò bene educantur & inſtruuntur, ut hodiedum etiam poſt horrendam diræ famis, peſtilentium variolarum præteritis annis graſſantium, ſtragem, in omnibus his Populationibus tamen adhuc circa duodecim aut quatuordecim millia habilium & ad quamcunque expeditionem promptorum militum præſtò ſint; utì prioribus annis in Paraquaria miranda ſuæ fortitudinis, fidelitatis, & erga Regiam Suam Perſonam affectûs ſpecimina dedêre, curatis ſibi proprio impendio equis, armis, munitione; & vitâ ipsâ in manifeſta pericula conjectâ. Et hoc ipſo tempore ducenti ex iis in ſtruendo munimento *de Monte video* (uno portuum fluminis *Plata*) opus faciunt, exciti

à loci

à loci Præfecto, ductu duorum de Societate JESU, qui eodem tempore ſimul eorum ſpiritum in pietate confirmant, & vigilantiâ ſuâ ad laborem exacuunt. Quibus de rebus Majeſtatem Veſtram ſimplice hâc, ſincerâ & veridicâ epiſtolâ pro tranquillanda Regia Sua conſcientia informandam duxi, rogandámque, ut pauperum horum Vaſallorum perſpectam fidelitatem, nec minùs Operariorum Evangelicorum, hos labores obeuntium, zelum remunerari dignetur.

Præter dictas Populationes & Reductiones alteram quampiam moliuntur duo Societatis Religioſi, cujus jam fundamenta ac initium jecêre; ex Indica quapiam natione, quos *Pampas* nominant, qui iidem præteritis annis tam in vicinia Boni aëris, quàm contra viatores, mercatûs causâ è Chile in hanc urbem ventitantes, hoſtilitates exercuerant graviſſimas. Ejus urbis Gubernator Don Michaël Salſedo collectam militum cohortem ad fines hujus nationis immiſerat, quæ verſus *Cordilleras* prope fretum Magellanicum ſparſim habitat. Et quia hujus expeditionis Dux lectus eſt quidam Societatis Pater, novæ hujus Reductionis fundator, per interpretem ſucceſſit, ut nationem ad pacem permoverit, ac reapſe ejus confirmandæ ergo quatuor Cacichii venerint, ac ſe ad reſtituendos, variis occaſionibus ad eam diem captos, obligârint.

Poſtremis his diebus alii Cacichii, in urbem S. Fidei delati, multis precibus à Rectore Collegii Religioſos poſtulârunt, per quos in ſancta noſtra fide cum ſuis Popularibus ad eam amplectendam paratis inſtituerentur. P. Provincialis duos deſignavit, qui importato in has terras Evangelio

eorum deſiderio ſatisfacerent; id quod ſingulari Numinis ptovidentiâ factum videtur: de cujus miſericordia ſpero, fore, ut cum horum converſione magnos in his terris progreſſus faciat Religio.

Non omittam referre, quid in viſitatione urbis *las Correntes* dictæ mihi evenerit; ubi, ùt ſcriptura loquitur, à ſummo calore ad ſummum frigus tranſii, videlicet, â grandi pietatis & devotionis fervore, ad extremum frigus & teporem, quem non jam Indos inter, ſed Hiſpanos reperi. Infelix ſatìs eſt Regio, & infelicior multo quàm Regio Sanctæ Fidei; & quantumvis tellure utatur ſat fertili, in ſumma egeſtate & miſeria degunt ob otium & enormem pigritiam, moribus diſſolutiſſimi & perpetuis rixis intenti. Abducendi mihi inde fuêre plures, in Boni aëris, Paraquaria, & Cordubæ matrimonio juncti, qui deſertis ſuis, hìc aliis mulieribus adhæſerant; quos, ut ad proprias redirent, induxi; inter hos unus altérque non ſolùm ſcelere polygamiæ infames ſed & populi ac quietis publicæ perturbatores fuêre.

In tota hac Diœceſis meæ & agri Boni aëris ac totius diſtrictûs viſitatione, in plures quàm centenas leucas excurrente, perpeſſis plurimis incommodis ac periculis tam in meæ, quàm in Paraquaricæ Diœceſis jurisdictione pluribus quàm viginti millibus Sacramentum Confirmationis impertivi, qui numerus longè major ac duplus futurus erat, nî peſtilentia lapſis annis tantam in omni ætate ac ſexu ſtragem feciſſet.

Religioſorum quoque S. Franciſci Seraphici Miſſiones & Reductiones in mea Diœceſi ſitas, pro Officii mei ratione

ne

ne, viſitavi. Quamvis & hìc populus bene compoſitus, in doctrina Chriſtiana, & rebus ad Divinum cultum pertinentibus ritè ſit inſtructus; magnum tamen in hoc ultimo diſcrimen à Patrum Societatis deprehendi; conſpectâ hìc majore paupertate Eccleſiarum & minore frequentia populi. Cauſam percontanti mihi, è duobus id malis enaſci, reſponſum; altero, quod pars terræ cum ſuis cultoribus, perſonis quibusdam in Paraquaria in commendam data ſit; à Commendatoribus verò ſæpè pro ſuo arbitrio, non exiguus numerus Indorum ac Indarum, ad colendas eorum villas ac prædia abſtrahantur; itaque non modò à devotione & cultu Divino impediri, ſed tempus eripi, quo ſementem ſuam facerent, atque DEI ſervitio, ac fabricandis Eccleſiis alioqui vacarent, cum gravi Populationum diſpendio, & quotidiana populi immunitione; cùm multi ex operis in labore horum Commendatorum occupatis deperdantur & diſpareant. Alterum eſt, quod Populationes iſtæ, crudelitati & invaſionibus aſſiduis Indorum infidelium *Pajaguas* dictorum expoſitæ indies minuantur. Quod Majeſtati Veſtræ exponendum cenſui, ut Regali Sua providentiâ remedium adhibere dignetur.

Hæc ſunt in mea viſitatione obſervata, quæ officii mei, & Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſervitii causâ ob oculos ponenda exiſtimavi.

DEUS Dominus Noſter Regiam Veſtræ Majeſtatis Perſonam in multos annos cuſtodiat & ſervet.

Boni aëris 8. Januar. An. 1743.

Fr. Josephus, Episcopus
Boni aëris.

LITERÆ

Suæ Majeſtatis Catholicæ ad Superiores, aliósque Societatis JESU Religioſos in Paraquaria.

Enerabilis & Devote Pater Provincialis Societatis JESU, aliíque Superiores & Religioſi ejusdem Religionis, qui præſunt Miſſionibus, ſub jurisdictionibus Paraquariæ & Boni aëris in meis Peruviæ Dominiis. Examinato per meum Indiarum Conſilium maturéque diſcuſſo negotio, quod poſt tot támque diſcrepantia documenta, ſcripta, decreta, informationes de progreſſibus harum Miſſionum, aliísque eò ſpectantibus, longè graviſſimum evaſit; expoſitum mihi fuit in Giunta 22. Maji hujus Anni, inter alia puncta: quod videlicet ſit indefeſsâ aſſiſtentia, ùt ex omnibus informationibus conſtat, quæ in harum Miſſionum Populationibus præſtatur Eccleſiis; quòd ſummo decore Divina peragantur, non ſinè argentea ſuppellectile aliísque ornamentis; adeò, ut cultus divinus nec exactior, nec ſplendidior, nec devotior eſſe poſſit, ac eſt; ùt teſtatur Reverendus Epiſcopus Boni aëris in Epiſtola 8. Januarii hujus Anni, quæ notitiæ omnino conformes ſunt iis, quas ipſi æmuli Societatis dederunt. Quæ circumſtantia mihi longè gratiſſima fuit, quod ad DEI ſervitium cedat; à cujus potentia

tentia & auxilio propagationem Catholicæ fidei in his meis Dominiis, ac Vaſallorum meæ coronæ incrementum ſpero. Quocirca ſtatui manifeſtare (quod præſenti Regiarum mearum reſolutionum expeditione facio) Regiam meam gratitudinem eâ beneplaciti mei expreſſione, quam â benignitate mea ſtudium zelúsque veſter meretur; ſperóque vos omni efficaciâ continuaturos, ſimúlque geminato ardore promoturos ea, quæ veſtrarum partium ſunt, eorúmque obſervationem, quæ in Decreto de ſingulis hujus negotii punctis, hodie dato, mando ac præcipio: quod Decretum à meo Secretario infra ſcripto ad vos transmittetur, ut de mea mente quoad ſingula informemini: confido, vos me de his acceptis quamprimùm edocturos & occaſionibus quibuscunque certiorem me de re quacunque facturos, quæ circa hæc puncta mihi ſignificanda occurrerit. Ita poſtulante Regio meo ſervitio.

Buenretiro 28. Decembris Anno 1743.

EGO REX.

De Mandato REGIS
DOMINI NOSTRI

Don Michael de Villanova.

EPISTOLA

Suæ Majeſtatis Catholicæ ad Provincialem Societatis JESU in Paraquaria.

REX.

Enerabilis & Devote Pater Provincialis Societatis JESU, cujus curæ ſubſunt Miſſiones ad jurisdictionem Paraquariæ & Boni aëris in meis Dominiis Peruviæ ſpectantes. In Regio meo Indiarum Conſilio examinati ſunt, & recogniti actus, inſtrumenta & alia ſcripta authentica, quæ jam à ſæculo circa ſtatum & progreſſum harum Miſſionum, & gubernio earum, in quibus exiſtunt, Provinciarum edita fuêre; & circumſtantiis hujus negotii omnibus exactiſſimâ diligentiâ & maturitate expenſis Giunta 22. Maji hujus Anni mihi eas proviſiones expoſuit, quas opportunas cenſuit Divino meóque proprio ſervitio, & Indorum illorum bono, qui ùt fidi adeò Vaſalli, támque meæ coronæ utiles, à mea benignitate ſui curam, &, quod experiuntur, levamentum promeriti fuêre. De quibus expedientibus, aliísque omnibus ad hoc negotium pertinentibus, ritè informatus, memórque Regiorum Mandatorum de ſingulis punctis editorum, ea conſtitui, quæ è Regali meo

Decre-

Decreto, hac ipsâ die expedito, intelligetis; quod à meo Secretario in Dominia illa ad exactam promptámque executionem transmittitur, & ad vos item transmittetur, ut qua parte vos contingunt, fideliter obſervetis, & eo contenta foveatis & promoveatis. Et quia ex iis, quæ eo Decreto adducuntur, factis veridicis manifeſtò conſtat, qualiter horum Indorum Populationes omni, quæ Dominiorum meorum Vaſallos decet, ſubordinatione vivant; legésque Regii Patronatûs, & tam Regia quàm Eccleſiaſtica jurisdictio in ſuo vigore & obſervatione perſiſtant; ùt ex informationibus Reverendorum Epiſcoporum poſt repetitas eorum viſitationes patet, & prout à Gubernatoribus mihi ſignificatur de cæca obedientia, quâ dicti Vaſalli ad quodvis imperium prompti ſunt ſive ad Suæ Regionis defenſionem ſive quamvis expeditionem, ſiſtendo ad omnem Gubernatoris nutum eum numerum armatorum, quem neceſſitas poſtulaverit. Placuit igitur mihi, manifeſtum vobis facere (quod Regiâ hac expeditione facio) gratum erga vos animum, quo veſtrum & aliorum Superiorum, ac ſubjectorum in his Miſſionibus zelum reſpicio quoad omnia, quæ ad bonam educationem horum Indorum, eosdémque in ſancto DEI timore, in debita ſervitii mei ſubjectione & civilis vitæ tenore continendos conducunt. Cúmque poſt tot juſtificationes, aliásque fide dignas notitias penitus evanuerint calumniæ omnes & impoſturæ publicè contra vos ſparſæ, variísque viis ſub ſpecie zeli, revera autem per meram malignitatem mihi denunciatæ; hinc confido vos, Superiorésque veſtros ſucceſſores,

aliósque, bono meorum Dominiorum per miniſteria, Sacro Veſtro Inſtituto propria, ſe impenſuros, ac eodem zelo & fervore has Reductiones exculturos, Indorúmque curam porrò habituros, síque opus remedio eſſe credetis, ſinè mora me admonituros, ut, quæ neceſſum eſſe judicavero, provideam.

Buenretiro 28. Decembris Anno 1743.

EGO REX.

De Mandato REGIS
NOSTRI DOMINI

Don Michael de Villanova.